

Sitz. hist. V. Qu. in 57

VIRO DOCTISSIMO ATQUE HUMANISSIMO



# IOANNI CHRISTIANO HERBST

PHILOSOPHIAE DOCTORI

IN GYMNASIO GEDANENSI PROFESSORI PRIMARIO

INDE A KAL. IUN. MDCCCXVIII

IN HUIUS EIUSDEM GYMNASII GEDANENSIS IUVENTUTE  
AD OPTIMAS ARTES ERUDIENDA STRENUE FELICITERQUE VERSATO

## DIEM SEMISAECULAREM

EX ANIMI SENTENTIA

GRATULANTUR

RECTOR ET CONLEGAE.

A. D. IIII. KAL. IUN. MDCCCLXVIII.

DE Q. ENNII SCIPIO SCRIPSIT THEOPHILUS ROEPER.

*Programm für 1869.*

1827-78  
1512

GEDANI

TYPIS EDWINI GROBBINGII.



**S**aeculi dimidium in opere faciendo feliciter exegisse cum rarum sit mortalibus, tum illud Tibi contigit longe rarissimum, HERBSTI noster, ut, ex quo vir factus munere publico fungi coepisti, uno eodemque in spatio ad hanc usque calcem decucurreris, quae tantum abest ut tam longi cursus vigorem Tibi terminatura videatur esse, ut in tanta hominum qui Te aut magistro aut conlega aut familiari usi sunt multitudine nemo fere sit, quin nihil de praecclara ista et animi et corporis aequabilitate atque constantia esse demutatum vereque viridem Tuam esse senectutem confiteatur, admiretur, laetetur. Eam Tibi nos rem hodie gratulamur ex animi nostri sententia idque eo facimus lubentius, quod non modo doctrinae quae in Te est subtilitatem optimarumque artium amorem observare et magni facere, sed in officio obeundo diligentiam, fidem, gravitatem, auctoritatem suspicere ac prorsus venerari consuevimus, atque, cum sis ex duabus et triginta annis primo inter huius scholae magistros loco constitutus, Tuam Te cum gymnasii nostri flore famaque coniunctam putare dignitatem intelleximus. Itaque, norimus licet Tuam Tibi conscientiam pluris esse quam hominum sermones essequere Tuum pudorem ab omni dicendi agendique specie ac pompa alienissimum, praetermittere

hunc diem Tuum semisaecularem noluimus, quin aliquod nostrae erga Te voluntatis, pietatis, reverentiae daremus publice testimonium, quod Tu ne displicere Tibi velis, sed pro Tua humanitate benevole excipias rogamus atque oramus. Illud vero a Te petimus maxime, ut ista quam adhuc experti sumus placida mente atque amica per omnes, quos in communi officio plurimos fore speramus, annos conlegas Tuos amplecti ne desinas. Idem precamur a Deo Optimo Maximo, ut Nestorem Tibi largiatur aetatem, omnibus quae exoptanda homini ducuntur bonis adfluentem, omniumque Te votorum Tuorum compotem faxit.

A. d. III. Kal. Iun. MDCCCLXVIII.

Rector et conlegae Gymnasii Gedanensis.

Engelhardt. Czwalina. Brandstaeter. Roeper. Stein. Bresler. Lampe.

Eichhorst. Prutz. Korn. Blech. Redner. Schultz. Kreutz.

## De Q. Ennii Scipione.

---

**E**nnium sicut sacros vetustate lucos adoremus, in quibus grandia et antiqua robora iam non tantam habent speciem quantam religionem. Propiores alii atque ad hoc de quo loquimur magis utiles. Verba sunt Quintiliani libro X de institutione oratoria c. 1 § 88, quibus fere admonemur, idem olim evenisse poetae Rudino quod magno inter nostrae gentis poetas viro Klopstockio, cuius Messias cum superiori saeculo ingenti doctissimorum hominum plausu esset exceptus, et tum demum nacti esse sibi viderentur Germani quo ceteras gentes in genere epico aequaliter, hodie qui divini operis admirationem prae se ferant aliquanto plures sunt quam qui lectionem sustineant. Ennius, si Lucretium audimus (nat. rer. I, 118 sqq.) primus amoeno detulit ex Helicone perenni fronde coronam, per gentes Italas hominum quae clara clueret; si Vitruvium (architect. VIII praef. 16), qui litterarum iucunditatibus instinctas habent mentes non possunt non in suis pectoribus dedicatum habere sicut deorum sic Ennii poetae simulacrum. Sed eo ipso tempore mutari coepta sunt hominum iudicia. Horatianum illud (epist. II, 1, 50) *Ennius et sapiens et fortis et alter Homerus, ut critici dicunt, εἰρωνεούμενος* est habuitque inrisiōnis imitatorem Persium (6, 9). Nam apud eundem Horatium *Calabriae Pierides* (carm. IIII, 8, 20) ad poesis magis quam poetae laudem pertinent; nec *Ennius ipse pater* (epist. I, 19, 7) plus venerationis habet quam hilaritatis. Aperiunt saeculi sensum verba Ovidii (trist. II, 424): *Martem cecinit gravis Ennius ore, Ennius ingenio maximus, arte rudis.* Idem enim de Callimacho, *Battiades*, inquit, *semper toto cantabitur orbe: quamvis ingenio non valet, arte valet* (amor. I, 15, 13 sq.), et paulo post: *Ennius arte carens animosique Accius oris casurum nullo tempore nomen habent.* Diutius tamen stetit elegiae princeps (Quintil. inst. X, 1, 58). *Callimachi Manes et Coi sacra Philetæ invocat Propertius* (III, 1, 1) idemque, *Ennius hirsuta, ait, cingat sua dicta corona;* suisque voluit effici libris ut esset *Umbria Romani patria Callimachi* (V, 1, 61. 64; cfr. Stat. silv. I, 2, 253). Nec mirum; nimis similia certe erant tempora; extinctam ille insecurus erat libertatem, hic comitabantur cadentem; grandia et animosa populum capiunt, aulae terfa nitidaque atque elegantia placent, tutiusque ingenium arte compensatur quam ars repudiatur ingenio. Extitit ea tempestate vir, qui ut erat in libertatis principatusque confiniis fato constitutus, ita in argumento utrique condicioni apto ea vel naturae benignitate vel diligentia studiorum elaboravit, ut antiquum illud robur et hanc novi saeculi venustatem in unam summae perfectionis speciem temperasse videretur tantoque non modo aequales admirationis ardore incenderet, ut celebris illa erumperet vox: *cedite Romani scriptores, cedite Grai, nescio quid maius nascitur Iliade* (Propert. III, 33, 65), verum etiam posteri maxime eum Homero accedere iudicarent et secundum quidem esse, propiorem tamen primo

quam tertio (Quintil. inst. X, 1, 86). Depulit Ennium gradu Vergilius, — sic enim iam oportebit scribere, quamvis adamaverimus Virgilium, — ut depulit Lucilium Horatius, uterque utriusque studiosus, sed studiosior Ennius Vergilius, quem etiam vituperabat Seneca, quod voluisse Ennianum populum agnoscere in novo carmine aliquid antiquitatis (Gell. noct. Att. XII, 2; cfr. Senec. epist. 58, 3); nec gradu tantum, sed usu et lectione, imitatione, institutione. Adorari maluit a dissentibus Ennium quam legi Quintilianus, non ille antiquitatis contemptor, sed suo tamen saeculo innutritus; et eodem tempore Martialis post fata demum venire gloriam querens quod ait: *Ennius est lectus salvo tibi, Roma, Marone et sua riserunt saecula Maeoniden* (epigr. V, 10, 7), quid aliud quam sperni iam prae Vergilio Ennium nec fere legi ab hominibus elegantioribus confitetur? Veneraturam ait Statius, — non habet quod maius loquatur, — Aeneidem Lucanum Pharsalica canentem, cedet autem, inquit, *Musa rufis ferocis Enni*, nimis vere vaticinatus, bilem ut moverit philologorum principi Iosepho Scaligero, quem dixisse ferunt: *Ennius poeta antiquus magnifico ingenio; utinam haberemus integrum et amissemus Lucanum, Statiū, Siliū Italicū, et tous ces garçons là* (Fabric. biblioth. Latin. III p. 230 ed. Ernesti). Quid quod ante hos ne ineptissimus quidem homo Valerius Maximus *rude atque inpolitum eloquium* Enni increpare erubuit (VIII, 14, 1)? Ac refocillata quidem est paulisper sub Hadriano et Antoninis vetusti vatis auctoritas ceterorumque quos obsolefecerat aetas quae dicitur argentea. Hadrianus Ciceroni Catonem, Vergilio Ennium, Sallustio Caelium praetulit (Spartian. 16, 6). Multiformem laudat Ennium Fronto (epist. ad Verum I, 1 p. 114 ed. Naber) praedicatque dominum suum Antoninum Augustum aut se *Plauto expolire aut Accio explere aut Lucretio delenire aut Ennio incendere* (de fériis Alsiens. 3 p. 224), Vergilii nec ipse nec imperator in epistulis mentionem faciunt. Legebantur Enni annales ad populum in theatro ab Ennianistis, legebantur apud grammaticos ab adolescentibus (Gell. XVIII, 5), conviciatur Gellius Senecae Enniana Ciceronis et Vergilii studia cavillanti (XII, 2), ἐπαινεῖν αἰσιον dicit Ennium Graece scribens Aelianus (Suid. v. "Εννιος"), bonum poetam M. Aurelius (Vulcat. Gallican. vit. Avid. Cass. 5, 7). Sed frustra iuvenescere cupit senectus. Re Romana, quam ille moribus antiquis stare dixerat virisque, degenerante in dies sub Caesaribus facile principatum recuperavit epicu carminis conditor Caesarianus, delitescentemque in bibliothecis vel grammaticorum in umbraculis iamque ne ipsis quidem in latebris satis tutum antiquitatis vatem facile oppressit. Nec desunt temporum notae. Ad eamdem controversiam dirimendam Gellii aetate homo quidam litteratus studio quidem pretioque multo, sed potuit tamen Enni librum vetustum et a nobili critico emendatum conducere (XVIII, 5), saeculis duobus et dimidio interiecto Macrobius queritur saeculum suum *ab Ennio et omni bibliotheca vetere descivisse* (VI, 9, 9), bibliothecam veterem dicens pro litteris antiquis (cfr. VI, 1, 3), quod eae ex hominum usu in bibliothecarum latibula refugissent, in quae — nam *bibliothecas sepulcrorum ritu in perpetuum clausas* iam Ammianus Marcellinus indignatur (XIII, 6, 18), — vix professores publice constituti raro descenderent. Nec temere quisquam, puto, post Priscianum evolvit ullum Enni librum, si modo Priscianus; reliqui certe, cum superiorum magistrorum thesauros expilare possent, non ii erant qui tineis blattisque saginam inviderent. Inter fabulas quas de Vergilio plurimas narrabat posterior aetas haec quoque est, qua quam tum ad vilitatem vetus illa hominis Rudini gloria delapsa esset adparet; legitur autem Vergilii vitae de Donati commentario sublatae inserta, his concepta verbis: *cum is aliquando Ennium in manu haberet rogareturque quidnam faceret, respondit se aurum colligere de stercore Ennii* (Suetoni reliquiae ed. Reifferscheid p. 67). Tanti fuit summo poetae (Cic. opt. gen. orat. 1, 2. de orat. I, 45, 198. de provinc. consul. 9, 20. pro Balbo 22, 51) ex Helicone coronam detulisse.

Non fuerunt igitur aeterni, ut putaverat Lucretius (I, 122), Ennii versus, nec fides sit saeculo XIII Annales superfluisse; iam certe ne unus quidem liber, ne una quidem fabula e magno velut naufragio enavit; paucos versus continuos, plerosque singulos, abruptos, mutilatos tamquam fractas tabellas atque asserculos iniqua tempestas in haec philologorum littora proiecit, in quibus conligendis, conponendis, digerendis operam vel navamus vel ludimus. Sed perfundunt tamen vel hae reliquiae considerantis animum admiratione praecipue ac divini prorsus ingenii, arte quidem atque elegantia carentis ea qua Augusti saeculum enituit formamque ac colorem dedit insequentibus, quemadmodum Ludovici XIII apud Francogallos, sed sententiis, affectibus, verbis et, ut dicam quod sentio, etiam versuum proprio quodam vigore ac libertate desueta atque amissa posteris ita praecellentis, ut, cum Vergilius quomodo in eius locum successerit facile intellegamus, id ipsum tamen quo Vergilius et aequalibus et posteris praestitit magnam partem ille ab Ennio traxisse videatur. In his ego reliquiis cum lubenter deversari soleam, factum est ut exorsus a versiculo quodam, quem pro stercoreo — petat veniam dicto fabulae Vergiliana auctor! — plurimi despexerunt, cum idem aureolus quidam mihi videretur esse, hinc illinc adsumptis argumentis exemplisque longiusculam, quae ad totum quoddam hominis Rudini poema pertineret, commentationem pertexerem, deque eius poematis genere quaestionem aliquoties tractatam renovarem. Quam commentatiunculam quod tuae gratulationis caussa edere constitui, HERBSTI, conlega suavissime idemque gravissime, quo nemo est apud nos artis orationisque Latinae scientior, non me fugit quam esset et ipsum argumentum tenue et mea disputatio imperfecta, sed veniam te daturum speravi, qui probe nosses, quam saepe philologis versaretur in tenuibus inquisitio veri, quam saepe inquisitioni non responderet inventio. Quaereremus haud dubie, — quamquam id genus quaestiones ingeniosiores proponere solebat Tiberius Caesar (Sueton. Tib. 70), — quaereremus utro in pede clavos dolentiores habuisset Herodotus, si id ut sciretur aut fieri posset aut veritatis interesseret. Nam quid quaque in re proposita verum sit fideliter quaerere nostrum est; quo illud quocumque invenerimus sit evasurum, Deus viderit. De eo autem poeta, quem summe admiratus est Cicero tuus, cuius velut humeris sustinetur Vergilius tuus, quem ne reprehendere quidem ausus est sine reverentiae significatione Horatius tuus, de eo si quaererem utinam recte putaverim tibi non esse displiciturum! Sed satis prooemii esto, ad rem ipsam accedamus!

---

Macrobius Saturnaliorum cum maxima pars ad quaestiones Vergilianas pertineat, tum libri sexti caput quartum in eo potissimum versatur argumento, ut poetam, qui esset antiquiorum litterarum Latinarum studiosissimus idem atque intelligentissimus, etiam de singulis verbis veterum aptissime iudicasse ostendat et inseruisse electa operi suo verba, quae iam nova videri fecerit incuria vetustatis. Eo ex genere est quod paragrapho sexta ad haec Vergilii Aeneidos XI, 601 sq.

*tum late<sup>1)</sup> ferreus hastis*

*horret ager*

haec adscripta leguntur: *horret mire se habet, sed et Ennius in quarto decimo:*

*horrescit telis exercitus asper utrimque;*

*et in Erechtheo:*

*arma arrigunt, horrescunt tela,*

---

1) Non extat *late* apud Macrobius, quod casune factum sit an quod ille legisset *late tum*, potest dubitari.

*et in Scipione:*

*sparsis hastis longis campus splendet et horret.*

*sed ante omnes Homerus (Il. N, 339):*

*ἔφριξεν δὲ μάχη φθισίμβροτος ἐγκείησι.*

Ac sane Vergilio satis credibile est obversatum fuisse illa scribenti Ennii locum eum qui est e Scipione, cum et apud ipsum haec adiecta sint: *campique armis sublimibus ardent*, ut loci Enniani non modo horror sed etiam splendor habeat quo repraesentetur, et apud Homerum post illa *μακόης ἀς εἴχον ταμεσίχροας*, quae in Macrobii si non libris manu scriptis certe editis plerisque versum qui supra scriptus est excipiunt, haec sequantur, quibus ille ardentes campos Vergilio, splendentem Ennio quodammodo praeivit:

*ὅσσε δ' ἄμερον*

*αὐγὴ χαλκείη πορύθων ἀπὸ λαμπομενάων*

*θωρήκων τε νεοσμήκτων σακέων τε φαινών*

*ἐρχουένων ἄμνδις.*

Verum hoc quidem utcumque se habet, Ennii ille in Scipione versus, quamvis licet honoratus sit a Vergilio, saepe pessimi hexametri pro exemplo atque eodem fere loco habitus est, quo illi ad cavendum potius quam imitandum facti: *Romae moenia terruit impiger Hannibal armis et nuper quidam doctus coepit scribere versus.* Et profecto, postquam Merulae explosa est fraus, ne apud Ennium quidem parem prorsus huic hexametrum invenias. Itaque fuerunt qui negarent esse illum hexametrum: fuerunt vero etiam qui non modo contenderent esse, sed etiam artem excusarent. In quibus nominandus est Lucianus Müllerus, vir certe, etsi alia quaedam in eo aegre desideres, poetarum Latinorum artis metricae peritia hac quidem in parte nullo inferior. Eius in libro quem ea de arte scripsit haec verba sunt pag. 194: *ac primum quidem Ennius haut dubie habet uersus caesura egentes sed neque multos neque ut opinor expertes consilio quodam ac ratione. quod ut demonstrem omnes enumerabo. sunt autem hi*

*corde capessere. semita nulla pedem stabilbat.*

*poste recumbite uostraque pectora pellite tonsis.*

*cui par imber et ignis spiritus et gravi<sup>3</sup> terra.*

*sparsis hastis longis campus splendet et horret.*

*in his omnibus exemplis uidetur mihi quasi consulto neglexisse incisionem. nam primum et secundum apte congruunt orationi ualde concitatae, ultimum tardatae et claudicanti, unde etiam multiplicati reperiuntur in illis dactyli in hoc spondei. tertium aequabilitate sensum quandam habet excusationem. sane etiam alibi Ennius facetiis propriis ut indulgeret minus curauit elegantiam carminis uel dignitatem ut in illo ‘at tuba terribili sonitu tarantara dixit’ et in fragmento sotadicō quod sic incipit ‘nam qui lepide postulat alterum frustrari’. ceterum quod dicit Vahlenus [quaest. Enn. p. 85] de illo ‘sparsis hastis longis campus splendet et horret’, si quis Enniū poesin nolit hoc quasi monstro dedecorari, efficere ea uerba ita ut tradantur saturnium, impune contemnemus Vahlenos. di melius quam ut hunc adsumamus artis Ennianaē uel perfecto metrico difficilis arbitrum, qui talia Ennio pro hexametris intulit portenta qualia sunt*

*Volturnalem Palatualem Furrinalem*

*Floralemque Falacrem et Pomonalem fecit,*

*sive hoc mauis ‘isque dies postquam Ancus Martius regna recepit’. quis autem nisi mentis inops poterit credere eum esse Saturnio metro usum, qui quam contumeliose de eo iudicarit uel pueris notumst. Haec ille; nam quae sequuntur de Lucilio disputata alio loco commemorabuntur.*

Ac primum quidem non esse bonos versus, qui sunt de flaminibus a Numa rege institutis, quis neget? Non Vahlenus negabit, ac ne illum quidem ipsum credo fuisse negaturum, si quis superstitem interrogasset, Carolum Odofredum Müllerum, a quo sunt constituti apud Varronem de lingua Latina VII, 3, 45, in quem cadunt convicia a Luciano cognomini in Ennianae poesis reliquiarum editorem Ioannem Vahlenum iacta. Existimavit, opinor, uterque, neque id, ut mihi videtur, temere, et voluisse versus referre Varronem, — ipsius enim verba ostendunt, — et poetam, si vellet versibus historicum agere, quod non semel fecit, ipsaque veterum sacerdotiorum nomina diserte enumerare, non potuisse id nisi cum tarditate quadam posthabitaque rerum fidei numerorum elegantia efficere.<sup>1)</sup> Docendum igitur erat nec voluisse versus referre Varronem nec potuisse quod dixi velle Ennium.

Nomina propria quam torserint nonnumquam poetas cum omnino non lateat<sup>2)</sup>, tum luculentum est exemplum Ennii apud Ciceronem in Bruto 15, 58 (354 Vahl.):

*additur orator Cornelius suaviloquenti*

*ore Cethegus Marcus Tuditano conlega e. q. s.,<sup>3)</sup>*

in quo alterum versum esse insuaviorem nemo non sentit; verum etiam admissa Theodori Bergkii conjectura sic legendum putantis (n. Jahrb. f. Philol. u. Paedag. LXXXIII p. 495):

*ore Cethegus Marcus conlega Tuditano*

1) Omisit L. Müllerus tertii versus fragmentum *hic idem*. In nomine quod est *Palatualem* producere syllabam primam licebat Ennio non minus quam aliis licebat in illis quae sunt *Palatia* et *Palatinus*, qua de re dixit Carolus Lachmannus in Lucret. I, 360 p. 37. Poterat vero etiam *u* vocalis eadem synaeresi abire in consonam, qua usi sunt dactylici poetae in aliis quibusdam, velut *fortuitus*, *pituata*, *beluae*, *maluisti*; cfr. Varr. Eumen. II p. 29. Atque hac de voce video prorsus ita sentire Vahlenum in Mus. Rhenan. nov. XVI p. 583. *Falacer* qua fuerit syllabarum quantitate ignoratur; si eadem qua *alacer* et *volucer*, dubito an praestet legere *Floralem Falacremque*. — De synaeresi illa e Graecis quaedam attuli in Schneidewini Philologo VIII p. 20; unde perversa sunt quae de voce *ωρωμένος* mihi tribuit Curtius Wachsmuthius in libello de Timone sillographo p. 61.

2) Notum est ob nomina, qualia sunt *Ἀντιγόνη*, *Τειρεσίας*, *Ἀμφιάραος*, *Παρθενοπαῖος*, tragicos non semel a trimetri sui severitate descivisse. Quid Critias? Alcibiadem ut nominaret, trimetrum iambicum fecit pro pentametro dactylico: *καὶ νῦν Κλευσίου νίὸν Ἀθηναῖον στεγανώσω | ἀλκιβιάδην νέοισιν ὑμνήσας τρόποις | οὐ γάρ πως ην τοῦνομ· ἐπαρμόζειν ἐλεγειώ· | νῦν δὲ οὐ λαμβειώ κεισται οὐδὲ ἀμέτρως*. Idemque ausus Parthenius, qui ἐπικῆδειον εἰς Ἀρχελαΐδα γράψων ἐλεγειαὶ τὸν τελευταῖον μόνον στίχον ἀντὶ ἐλεγειον λαμβιτον ἐποίησεν, οὐ το ὄνομα ἐρεῖν ἔμελλεν ἀμυνσόν οὔνομ' ἔσσετ' Ἀρχελαΐδος. Quid Simonides? Aristogitonis non poterat inferre elegis nomen nisi divisus in hexametrum et pentametrum partibus: *ἡ μέγ' Ἀθηναῖοις φώς γένεθ' ήντις Ἀριστο-* | *γειτων Ἰππεόχον κτεῖνε καὶ Αριόδιος*. Eumque secutus pictoris Apollodori nomen Nicomachus: *οὗτος δέ σοι δὲ κλεινὸς αὐτὸν Ἑλλέδα πάσαν Ἀπολλό-* | *δωρος· γνώσεις τοῦνομα τοῦτο κλέων*. Exempla attulit Hephaestion in enchiridio c. 1 et 2 et 5, 3. Arunculeia noīmen in duos Glyconeos dirimitur a Catullo 61, 86, sed excusante atque etiam adiuvante Glyconeorum natura, qui in systemata continuantur. *Pitholecontem* quidam ab Horatio serm. I, 10, 22 dictum volunt, quia *Pitholaus* in hexametrum versum non veniret. Notus est de Equotutico, sive aliud oppidum fuit, versiculus eiusdem serm. I, 5, 87: *mansuri oppidulo, quod versu dicere non est*, quo imitatus esse traditus a scholiasta illud Lucilii: *servorum est festus dies hic | quem plane hexametro versu non dicere possis*: nempe Sigillaria, ut auctor est Scaliger. *Argyrippam* Lycophronis trimetro 592 aptissimam ut hexametro insereret Vergilius Aen. XI, 246 altera labiali privavit, Vergilio auctore Silius Punic. XIII, 30. Ovidius ut cognomine tantum se adpellaret versu cogebatur; idem cum saepe ludat arguteturque, vix tamen umquam verbosius quam in eo quod non missis ad Tuticanum amicum litteris excusationem querit ab eius nomine numeris non apto, epist. ex Ponto IIII, 12, 1—17. 14, 1. 2. Apud Martialem VIII, 12 omne epigrammatis acumen in eo est, quod nomen Earinus non effertur numeris dactylicis. Archestratus apud Athenaeum deipnosop. VII p. 284e quod piscis nomen, Manilius astronom. II, 897 sq. quod loci caelestis a versu abhorrens significant, non satis liquet.

3) Litteram *s* in fine vocabulorum a veteribus poetis saepe detractam scribendo exprimere malui, quia sic plerumque traditum est.

omissam caesuram satis excusare videantur nomina propria, si modo omnino ferenda sit ista verborum traiectio, de qua ego re quamvis adsentiente Alfredo Fleckeiseno (kritische Miscellen p. 22) adhuc dubito<sup>1)</sup>, ne id quidem extimescens, quod vix iam licere videtur, ne non satis sim credulus illorum decreto, qui *a* vocalem in nominativis ac vocativis primae declinationis a veteribus Latinis productam olim fuisse eiusque productionis exempla apud poetas superesse magna nunc auctoritate pronuntiant. Sed inpeditor ea quaestio est et ab illo quem tractamus versu remotior quam qua non melius sit hoc loco abstinere.

Versus autem quem in annalium fragmentis Vahlenus talem exhibuit 143mum:

*isque dies postquam Ancus Marcius regna recepit,*

in quo quicquid est criminis commune Vahleno est cum Hugone Ilbergio, qui versum a Servio ad Aen. III, 333 corrupte relatum *isque dies post aut Marcus quam regna recepit* illam in formam redigit, is sane versus rectene sit emendatus facile dubites; sed metro aliquam paratam esse a pleno Anci Marci nomine excusationem et illi videntur existimasse et qui sunt paullo minus acerbi iudices, opinor, concedent. Quod tamen non ita dictum putari velim, ut contemnere videar emendationem a Bergkio datam p. 507:

*isque dies pos avi quam Marcius regna recepit,*

qua non habeo equidem probabiliorem. Nam Müllerus portentum quod dixit non procuravit.

Ac numeri soli si spectentur, non satis adparet cur sit Ilbergianus ille versus peior habendus eo, qui est annalium apud Vahlenum 511mus, quem talem tradidit Probus comm. in Vergil. ecl. 6, 31 p. 18 ed. Keil.:

*cui par imber et ignis spiritus et gravis terra.*

Consulto hic quidem neglexisse Müllerus ait poetam incisionem et habere versum quandam excusationem aequabilitate sensuum. At quae tandem erat aut commodi ullius aut elegantiae ratio in ista binorum copulatione elementorum? Mihi quidem, — quamquam satis scio quantuli sim apud illum pretii, — laborasse potius videtur Ennius ut quattuor elementa unum in versum cogeret non adhibito vocabulo Graeco quod est *aer*. Diceret modo:

*cui par imber et ignis et aer et gravis terra;*

satis bonus erat versus. Sed id quidem cavebat, quamque illo gravate uteretur, prolixis quibusdam aperuit circumlocutionibus, ut annal. 149:

*ventum quem perhibent Graium genus aera lingua,*

et Epicharmi fragm. VII:

*istic est is Iuppiter quem dico, quem Graeci vocant,*

*áerem, qui vénus est et nubes; imber póstea*

*átque ex imbre frigus, ventus post fit aer denuo.<sup>2)</sup>*

1) Verum est sane, si a tudite inditum sit cognomen Tuditano, quod caput malleolo simile haberet, id quod apud Festum p. 352 Ateius Philologus existimasse traditur, *i* vocalem esse corripiendam; sed id ipsum rectene ille existimarit, nominum in *anus* exeuntium vim atque rationem spectantibus non potest non dubium videri. Qui autem adferuntur Lucilii e saturarum libro XIIIImo versus a Nonio p. 18, 33:

*Publius Pavus mihi Tubitanus quaestor Hibera  
in terra fuit, lucifugus, nebulo, id genus sane,*

quod unum exemplum est apud veteres poetas *i* vocalis in eiusmodi nominibus correptae (vid. Luc. Müller. metr. p. 367), vereor ne hunc in modum prior sit emendandus:

*Publius Pavus Tuditanus mihi quaestor Hibera.*

2) Sustuli suadente sententia distinctionem post *fit* fieri solitam. *Ventus aer iunetim dictus est ab Ennio, ut Graece θῆρ λέων, de quo Augustus Meinekius in Analectis Alexandrinis p. 85, σὺς ζάπρος, alia.*

Nam quod duobus verbis continetur fragmentum *aere fulva* (ann. 439) tam pusillum est, ut nihil contra valeat. Dixit ea de voce etiam Bergkius p. 333. Itaque perspicuum est hic quoque poetam non alicuius concinnitatis studio, sed quod euidam pareret necessitatibus a vetere illo peregrinorum vocabulorum fastidio inpositae, istum sibi indulsisse versiculum caesura carentem, quo genere ne Graecos quidem prorsus abstinuisse intellegeret.<sup>1)</sup>

Neque tamen concesserim Bergkio de versu ann. 247, quem ab editoribus parum feliciter sic refictum:

*quocum multa volup ac gaudia clamque palamque,*  
ipse p. 522 sic legendum iudicat:

*quocum multa volutat gaudia clamque palamque;*  
claudicare quidem eum, sed non esse peiorem illo *cui par imber et ignis, spiritus et gravi' terra.* Est versus ex longiore illa hominis cuiusdam, quo amico utebatur Servilius Geminus, descriptione quam servavit Gellius XII, 4, ubi in codd. mss. legitur *voluptate gaudia.* Primum enim nulla erat mali versus procudendi vel a rebus vel a nominibus inposita necessitas; deinde hominum qui describuntur gravitate indignissimum videtur dici eos simul voluntare gaudia clamque palamque. Utique malo medebitur qui scribet:

*quocum multa volutat agunda calimque palamque.*  
Etenim *calim antiqui dixerunt pro clam*, ut ait Paulus Diaconus in excerptis Festi.

In maximis et luculentissimis annualium reliquiis sunt illi versus a Cicerone addati libro I de divinatione 20, 40 sq., quibus Vestalis somno exterrita narrans somnium inducitur, cuius narrationis haec pars est (ann. 40—44):

*nam me visus homo pulcher per amoena salicta  
et ripas raptare locosque novos: ita sola  
postilla, germana soror, errare videbar  
tardaque vestigare et quaerere te neque posse  
corde capessere. semita nulla pedem stabilitat.*

Volvuntur quodammodo numeri ac paene rotantur instabiles, sive arte ac studio quae sivit eos poeta sive oblatos invenit divinitus, agitationem animi ac trepidationem egregie referentes, prope ut doleas, quod cultior classicorum qui vocantur ars aut noluit uti tam praeclera motuum rhythmicorum libertate aut passa est eam amitti. Ipsa illa quae est in ultimo versu post dactylum secundum incisio vim habet propriam atque eximiam, confectionem significans virium<sup>2)</sup> consiliique

1) Mitto hexametros lyrics, qualis est Pindari Olymp. 8, 63 ἔργα περιτερον ἄλλων, τις τρόπος ἄνδρα περίσσει: sed Batrachomyomachiae versus 230 Υδρόχαρις δέ τ' ἐπεγνε Πτεροφόρον βασιλῆα et 289 ἀντάρο ἐπειτα ζερανόν, δειμαλέον Λός ὅπλον ante Ennius extitisse nemodum, quod sciam, negavit. Eius modi vero hexametri, qualis est ille Horatianus epist. I, 14, 43 *optat ephippia bos piger, optat arare caballus*, aut Ennianus ann. 273 *spernitur orator bonus, horridus miles amat*, aut Vergilianus Aen. II, 145 *his lacrimis vitam damus, et miserescimus ultra*, in quibus pes tertius sequente diaeresi daectylus est, nec rari sunt admodum nec interpunctionibus aut caesurarum podiearum captationibus eludendi.

2) Cfr. locus Vergilii georg. III, 97 sqq.:

frigidus in Venerem senior frustraque laborem  
*ingratum trahit;* et si quando ad proelia ventum est,  
ut quandam in stipulis magnus sine viribus ignis,  
*incassum furit.* ergo animos aevumque notabis.

Ennius ann. 195:

*fraxinus frangitur atque abies consternitur alta.*

Multi etiam apud Horatium inveniuntur versus ita divisi, sed aliter epicorum recitari carmina verum est, aliter satiricorum.

\*inopiam. Relicuus versus quasi exorditur denuo omnesque habet caesuras quibus boni hexametri tetrapodia prima ornatur. Sic quod praeter artem factum videtur ipsum artis effectum habet, ut facile adsentiamur Müllero apte congruere versum orationi valde concitatae, quo ille etiam multiplicatos dactylos pertinere recte iudicat.

De versu autem annal. 235, qui superest apud Festum v. *tonsam* p. 356

*poste recumbite vestraque pectora pellite tonsis*

idem iudicanti Müllero si quis astipulandum putet, non equidem valde aduerser. Quamquam meo quidem sensu non tam concitatae orationis voces audire videor quam ludentem, ut solet interdum agnoscere poetam et portisculi remigum exercitationes<sup>1)</sup> moderantis numeros referentem, qui sunt dactylici, ut illud Charonis in Aristophanis Ranis *ῳδὸν ὄπε*, et omnem caesurae moram, quantulacumque est, videntur respuere, ut pro hexametro hic hexapodium vel, si quis malit, tres dipodias poetam fecisse et hic quoque artis defectum pro arte esse arbitrer.<sup>2)</sup>

Revertimur nunc ad eum versum, a quo orsa est haec disputatio. Qui cum sit ex Ennii Scipione sic relatus a Macrobio:

*sparsis hastis longis campus splendet et horret,*

Lucianus Müllerus eum contendit quasi consulto neglecta incisione apte congruere orationi tardatae et claudicanti, unde etiam multiplicatos reperiri in eo spondeos. At primum quaeritur, quo ille iure sumpserit versum esse hexametrum. Nam ceteros quidem, de quibus diximus, constat fuisse in annalium libris, ut sive boni sint sive pessimi non debeant non pro hexametris haberri, hic in Scipione fuit, quod carmen, quocumque ex genere fuit, versus trochaicos septenarios habuit certissime, hexametros habere si forte potuit, id ita ignoratur, ut minime necesse sit quantumlibet claudicanti per exceptiunculam aliquam decernere vindicias secundum heroum. Deinde, ut habuerit Scipio hexametros, cur tardaretur oratio? Quanto concitatius in pari argumento Euripides Phoeniss. 108 interiecto dochmiis dimetro anapaestico:

*ἰὼ πότνια παῖ Λατοῦς Ἐπάτα, κατάχαλκον ἀπαν πεδίον ἀστράπτει.*

Sed iuverit poetam splendentis sparsis hastis horrentisque campi vastitatem pedato isto, ut cum

1) De exercitationibus illis exposuit Polybius I, 21, 2. Fieri eas indicat Ennii versus ann. 236 ap. Fest. ibid.:  
*pone petunt, exim referunt ad pectora tonsas,*

ad quem Merulae lectionem quae est *prona* non commemoravit Vahlenus.

2) Non placet igitur quod Bergkius p. 623, cum in huins poetae Hedyphageticon fragmento quod superest apud Apuleium apolog. 39 versum secundum inserta *que* particula sic scribendum censisset:

*mures sunt Aeni asperaque ostrea plurima Abydi,*

eum versum negavit peiorem esse illo *poste recumbite vestraque pectora pellite tonsis*. Non est eadem utriusque ratio. Ac nollem Gustavus Kruegerus in suam apologiae editionem illud *asperaque* intulisset. Vix enim quisquam, censeo, monitus dubitabit quin Ennius scripsiter numeris bene se habentibus:

*mures sunt Aeni, aspra ostrea plurima Abydi.*

Nam nec hiatum nec syncopam exemplis tueri opus est; utriusque exempla etiam Vergilius praestat, ut ne *Aenid* quidem opus sit scribere, quod cum Salmasio voluit iterata emendatione Vahlenus in Mus. Rhen. nov. XVI p. 581; et v. 6 ferendum *Surrenti helopem fac emas*. Ipsum autem, ut hoc addam, carmen Archestrati, quod Latinum fecit Ennius, cum aliis nominibus tum etiam *Ἡδυπάθειαν* fuisse nominatum satis quidem constat ex Athen. deipnos. I p. 4c, sed argumento certe magis consentaneum est nomen a verbo *ἥδυγαγεῖν* non valde antiquo illo quidem sed satis probo ductum, quod unice commendare videntur librorum Apuleianarum corruptelae.

Varrone loquar<sup>1)</sup>, spondeorum tardore velut depingere; quid tandem intererat tot diaeresibus etiam dissolvi versum ac velut succiso poplite aut torpefacto ac debilitato consistere quovis gradu ac paene conlabi? Immo nulla cum sit elegantiae, nulla necessitatis ratio, qua aut commendetur talis versus aut excusetur, non esse hexameter dicendus est, qui ut pro hexametro habeatur nihil est quod cogat, ne habeatur multa quae dissuadeant.

Itaque cum ii loci qui praeter hunc disertis veterum auctorum testimonis e Scipione Ennii referuntur, alter a Macrobio saturn. VI, 2, 26 (satur. 10—13 Vahl.):

!. *mundus caeli vastus cónstituit siléntio,*  
*ét Neptunus saérus undis ásperis pausám dedit,*  
*Sól equis itér repressit úngulis volántibus,*  
*cónstitere amnés perennes, árbores ventó vacant<sup>2)</sup>,*

alter a Gellio noct. Att. IIII, 7, 5 (satur. 14 V.):

*quá[que] propter Hánibilis cópias considerat,*

haud dubie versibus trochaicis septenariis sint concepti, illum quoque proclive erat ad idem genus referre, praesertim si epicum carmen quadrato versu conpositum inscripsisse eo nomine Ennius videretur. Atque iam Gerardus Ioannes Vossius libro I de historicis Latinis cap. 2 p. 10 (ed. Lugd. Bat. a. 1651) talem exhibuit:

*spársis hastis lóngis campus spléndet ac horréت ~ ~*

vel, quod praestat, *atque<sup>3)</sup>*. Ioannes Henricus Neukirchius in libro de fabula togata p. 64 delere et particulam malebat, utpote profectam ex verbo antecedente *splendet* vel a librario versum explente vel asyndeton refugiente, talem fingens versum:

*spársis hastis lóngis campus spléndet horret ↗ ~ ~;*

Franciscus Ritterus in actis philologorūm quae inscribebantur Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft ann. 1840 col. 391 profitebatur, si talem versum:

*spársis hastis lóngis campus spléndet horret que ét gemit*

aut eius similem ipse Ennius dedisset, putare se a Macrobio, hoc tantum agente ut *horret* Vergiliandum ab Ennio repeteret, exitum versus sic potuisse contrahi ut nunc legitur. De quo cum etiam aliam ob caussam dubitari possit, tum omnes eos conatus Vahlenus in quaestionibus Ennianis, editionis prooemio, p. LXXXV reppulit auctoritate Lucilii. Ad eadem enim Vergili verba, quibus

1) Varro Bimarcus ap. Non. p. 229, 23 (fr. 23 R. 15 O.):

*nec mé pedatus vérsuum tardór refrenet arte,  
cum πέριθυμον certúm[st... .!... .!] .*

i. e. *cum iram effundere constitui*. In hanc fere sententiam suppleo quae periisse puto. Alii aliter profigare conati sunt monstra librorum *neprenet tarte cumpritymon*, in illo *refrenet arte* fere consentientes. An legendum *περὶ τίνων* propter cod. W. *pyrinon?* Septenarii mihi visi sunt certiores quam choliambi.

2) Cod. Med. *vocant* non sensu diversum, sed e veteri scriptura servatum, ac certe commendabilius quam *vagant*, quod legitur in versu tragediae cui nomen erat Hectoris lytra (155 Rbb. 214 Vahl.) ap. Nonium p. 467, 32: *constitit, credo, Scamander, árbores vento vagant*. Nonium littera mendose aut parum diligenter scripta decepit. Reete Bergkius p. 627. De scriptura illa veteri post alios dixerunt Vahlenus Mus. Rhen. nov. XVI p. 517. Buechelerus Ann. nov. philol. et paedag. LXXXVII p. 781 (cfr. Symbol. phil. Bonn. p. 85). Mommsenus corp. inscript. Latin. I p. 71. Schuchardtus Vokalism. d. Vulgālateins I p. 177.

3) Coniunctionem copulativam ac brevi syllaba constare scribenti Probo, vel quisquis est auctor libri de ultimis syllabis, 10, 1 p. 1425 P. 251 K., adsentitur Carolus Lachmannus in Lucret. I, 83: productionem tueretur Lucianus Müllerus metr. p. 344.

Ennii illum versum Macrobius contulit, in commentariis Servianis haec leguntur adnotata: *horret autem terribilis est; est autem versus Ennianus vituperatus a Lucilio dicente per irrisiōnē eum dicere debuisse horret et alget. unde Horatius de Lucilio (sat. I, 10, 54) non ridet versus Enni gravitate minoris?*<sup>1)</sup> Magnam autem constat cum Servianis commentariis intercedere Macrobii Saturnalibus necessitudinem atque cognitionem, qui ipsum etiam Servium in iis conloquentem fecit; quae res cum haud dubie eo pertineat, ut commentariis illis, integris sane, non his deformatis ac mutilatis quae nunc leguntur, Macrobius in conscribendis Saturnaliorum libris usus esse eaque passim exscripsisse videatur, (cfr. Ribbeck. prolegomm. Vergil. p. 104. 124. 146. append. Vergil. p. XII sq.), tum illud quoque adparet, suppleri inter se Servii et Macrobii locos, i. e. quae leguntur apud Macrobium lecta fuisse olim etiam apud Servium et in iis quae nunc sunt commentariis periisse, eaque tantum mansisse quibus ille ut ad suam rem supervacaneis abstinuit. Ac nulla sane ratio erat Servio commémoranda Luciliana irrisionis, si Ennii verborum, quae irrisa a Lucilio tamen Vergilius imitaretur, nulla apud eum mentio fuisse. Iam si nequit dubitari quin Lucilii verba *horret et alget* respondeant Ennianis *splendet et horret*, ipsa parodiae ratio postulat ut *et* particulae parcatur, qua una re omnes illi quos attulimus mutationum conatus ad inritum rediguntur. Eam ob caussam Otto Ribbeckius cum in Musei Rhenani novi t. VIII de Vahleni Ennianae poesis reliquiarum editione dissereret, pag. 285 servata *et* particula aut creticum deesse exeunti versui iudicavit aut ineunti dipodium trochaicam, ut aut talis forma fuisse videatur:

*spársis hastis lóngis campus spléndet et horret*  $\overline{\text{—}} \text{ } \text{—}$ ,

aut talis:

*!... spársis hastis lóngis campus spléndet et  
hórrret ... !... !... !... ;*

etiam septenariorum horum satis claudicare numeros nec opus esse hexametris ut iusta videatur esse Lucilii reprehensio, qui sonorum argutiis (Tonmalerei) Ennianis parum delectaretur. Quae dicta si eodem redeunt, — fateor enim me non satis intellegere, — si eodem, inquam, redeunt, quo hexametrorum quorumdam Ennianorum vitia excusantur, ut rei de qua diceret vim speciemque sonis ac numeris poeta efferre voluisse perhibeat, istud quidem quod a caesurārum defectu repetitur crimen non cadit in trochaeos, qui facilis ferunt diaeresium quam caesurārum multitudinem;<sup>2)</sup> sed quicquid est illud, quod ei in numeris illis ab ipso positis displicebat, non certe Lucilii caussa, qui ipse in versibus erat horridior,<sup>3)</sup> obtrudere aliquid cogimur Ennio parum

1) Non genitivus hic est, sed veteris scripturae exemplum.

2) Dixit sane doctus quidam homo in Mus. Rhen. nov. t. XXII p. 34 diaereses pro caesuris adhibitas versusque in partes suas diffractos notum esse induci ad significandum terrorem quedam animi atque horrorem, eiusque rei exemplum attulit hoc ipsum *sp. h. l. c. sp. e. h.*, non indicans tamen quadratumne versum putaret an heroum. Si quadratum, coherruisse credo mulierculam cum audiret istum sensis Plautini in Mercatore versum 397: *lignum caedat, pénum faciat, aédis verrat, rópulet;* quem bis ad Lucilium rettulit Nonius p. 271, 29 et 420, 9. Plura eiusmodi inveniet apud Lucilium et alias, qui quaeret.

3) Quamquam quod durum componere versus Lucilium dicit Horatius versusque ei tribuit male factos *et* inconposito pede currentes (serm. I, 4, 8. 10, 2. 9), eo ille iudicio hexametrorum potissimum scabritiem tangere videtur, de trochaeis et iambis non cogitare. Hexametros etiam caesura carentes fecisse Lucilium contendit Müllerus metr. p. 195, exempla adferens haec duo, alterum e libro VIII petitum apud Nonium p. 84, 11 et sic emendatum a Lachmanno:

*hiberna intuba momento omnicolore colustra,  
alterum e libro XXVIII ap. Non. 31, 19  
nec ventorum flamina flando suda secundent.*

numerosum aut condonare. Atque non dubito equidem quin non versum et numeros, quod fere omnes adhuc videntur existimasse, sed verba ac sententiam tetigerit Lucilius. Nam et algere i. e. frigere oratio potest, numerus non item, et aliquanto magis Lucilianum est aliquod inepte dictum perstringere quam versum parum feliciter structum. Poterat autem ac paene debebat emunetae naris homini magnifice quidem et argute sed contra rationem ideoque inepte ac frigide dici videri eadem res eodem tempore eademque de caussa et splendere et horrere, quae sunt notiones inter se contrariae; velut Cicero ait paradox. prooem. 3: *nihil tam horridum, tam incultum, quod non splendescat oratione et tamquam excolatur.* Itaque Enniano illi *splendet et horret* hoc suum obiecit *horret et alget*, salse et iocosa cum ambiguitate; nam frigus horrorem facit. Ipsi vero etiam versus, quales dedit Ennio Ribbeckius, habent quo dissuadeantur. Omitto dactylum *splendet et*, omitto altero in exemplo *et in exitu* versus conlocatum; neutrum ut in plane vetitis duco, ita neutrum praeter necessitatem admiserim: etiam minus illud placet quod aut truncatum fine versuum nanciscimur aut enuntiationem post ipsam copulativam particulam in duo versuum fragmenta divulsam, cum et sententia et Lncilii imitatio declarare videantur, verba illa *splendet et horret* pausam fecisse et aliquo in exitu fuisse conlocata. Denique ceteris illis qui e Scipione Ennii supersunt septenariis quanto hi sint elegantia ac dignitate inferiores, quivis facile persentiscet. Sequitur ut ne versuum quadratorum quidem numeris verba illa putemus esse dimetienda, quod quo pacto ad universi carminis genus indagandum pertineat infra considerabitur.

Non praetereundus mihi est hoc loco Fridericus Henricus Bothius, poetarum scaenicorum Latinorum editor, qui cum Scipionem, ut inde ab Hieronymo Columna fieri solebat, inter tragoealias Ennii posuisset, versum illum de quo quaerimus pronuntiavit esse asynartetum, e duobus ithyphallicis compositum, cuius generis usum ait apud tragicos non esse infrequentem. Et recte hoc quidem ille, quod unum quoddam ac totum corpus metricum, ut ita dicam, verba illa putavit esse, herosque et quadratis abstinuit; sed asynartetorum quod ille agitabat studium iam pridem obsolevit, ut ne opus quidem sit refellere, cum praesertim ad introspicendum altius in Ennii artem nihil inde videamus esse profecturi.

Spretis Neukirchii ac Ritteri conatibus Vahlenus hexametri monstro Ennii poesim dedecorari nolens p. LXXXV ea verba ita ut tradantur dixit Saturnium efficere:

*sparsis hastis longum-campus splendet et horret.*

Ac licet Saturnios qui quidem certi sint in Ennii reliquiis non detexerit, tamen quid impedire quo minus eum in saturis maxime hoc quoque metro aliquotiens usum esse credamus? Ac de satura quidem infra viderimus, et quod sequitur in eius oratione *sed hoc utut est* subdubitatem ostendit hominem; etiam versum ipsum satis probum esse concedimus: sed nollemus tamen id ei in mentem venisset, non quod aperta iniuria sic Ennium Lucilius adfecisset, ut putabat Ribbeckius, — nam

In priore acriter oppugnat p. 196 Lachmanni de caesura inter conliquentes vocales doctrinam, non adsecutus, opinor, quod ille voluit. Aliud certe est tertio pede finiri vocabulum, aliud quadam sui parte quamvis exigua et evanescente in quartum porrigi, ut nec sit plane caesura nec plane desit, non perfecta sane, sed tamen incohata. In altero exemplo fallax mihi videtur esse species hexametri et cum librum XXVIII constet senariis fuisse conpositum una trajectione facilissima idem metrum sic esse restituendum:

! . . . néc ventorum flamina  
flando secundent suda . . ! . .

Certum est autem librarios non raro bonos aliis ex generibus versus, quorum numeros ignorarent, in malos hexametros transformasse.

Lucilii inrisiōnem ad verba non ad versum pertinuisse diximus, — sed quod contumeliose quidem locutum esse, at vere tamen iudicasse Lucianum Müllerum arbitramur, non videri Ennium hoc versum genere, quod superbe eum despexisse scimus, eo in carmine usum esse, quod, fuerit licet satura, ut Lerschio praeunte Vahlenus putavit, cum nullo tamen in loco, qui ad illud referri potest, gravitate annalibus cedat, non magis quam hi genus tam sordidum admitteret. Nec sane Scipionis personam, hominis Graeca eruditione perpoliti, decebant

versus, quos olim Fauni vatesque canebant,  
cum neque Musarum scopulos quisquam superarat  
nec dicti studiosus erat;

quamquam sic iam luserunt fata, ut Scipionum ex titulis hodie Saturniorum leges certissime agnoscantur.

Quod autem pro *longis* Vahlenus eo loco tacite scripsit *longum*, ne ipse quidem in fragmentorum ordinem recepit. Verum sane est non tam interesse in huiusmodi descriptione, longae ut esse dicantur hastae, quam longe splendere et horrere campus. Nec quemquam in arte critica mediocreter versatum facile fugit, quam saepe factum sit in libris manuscriptis, ut verborum sese excipientium terminaciones perperam inter se exaequarentur.<sup>1)</sup> Videtur etiam eo differre hic locus, quod cum Aeneidos atque Iliados in locis, quorum p. 3 sq. mentio facta est, procedant ad pugnam milites hastas etiamtum manibus tenentes, hic factum iam pugnae initium iactasque hastas ipsum illud *sparsis* indicat, quo verbo uti in ea re solet Ennius, ut annal. 287 (Macrobius VI, 1, 52): *hastati spargunt hastas, fit ferreus imber*, et annal. 154 (Macrobius VI, 1, 16): *postquam defessi sunt stantes (al. stare et) spargere sese hastis, ansatis concurrunt undique telis.* At quoniam non longum in tempus, quae una videtur esse vocis *longum* adverbialiter dictae potestas, sed longum in spatium sparguntur hastae, praestare dixerim *longe*, idque, si quid omnino mutandum sit, etiam malim restituere, quam quod in Mus. Rhen. nov. t. XXII p. 34 in quadam Hermanni Buchholtzii annotatione nescio quo auctore scriptum invenio *longus*, quod scripturee similitudine magis quam sono sensuque commendatur. Interim Homericum illud ἐγχείησι μανῷς tantum apud me valet ut id potissimum secutum esse Ennium ferendumque quod est in libris traditum ac mutatione abstinentum putem. Sed ad metrum revertamur.

Potest versus esse tetrameter ionicus a minore, ter substituto in ionicis pedis locum molosso:  
*sparsis hastis longis campus splendet et horret.*

Diaeresis in medio versu solennis est; molosorum coacervationi similis est ea quae in eiusdem poetae fragmento Sotadicō, quod est apud Gellium XVIII, 2 (satur. 32—35 Vahl.), agnoscī solet.<sup>2)</sup>

1) Velut in hoc ipso Macrobiī capite § 48: *Cicero in quinto de legibus: Visne igitur, quoniam sol paululum a meridie iam devexus videtur nequedum satis ab his novellis arboribus omnis hic locus opacatur, descendatur ad Lirim eaque quae restant in illis alnorum umbraculis persequamur.* Quis dubitet quin pro descendatur Cicero scripserit *descendamus?* et quidni etiam Macrobius?

2) Molosorum usum a versibus Sotadiis cur prohibeat Franciscus Buechelerus (Rhein. Mus. N. F. XX p. 24), si modo recte cepi verba viri doctissimi, causam idoneam non video. Posse enim utriusque ionicis vices sustinere et ratio docet et poetarum Graecorum usus confirmat. Neque in eo quicquam refert, quod quae attulit exempla Godofredus Hermannus elem. doctr. metr. p. 445 sqq. ex Ioannis Stobaei anthologio desumpta, ea ab ipso Sotade Augustus Meinekius analect. Alexandr. p. 246 rectissime abiudicavit. Versus Homericus Il. N. 392 ἀς ὁ πρόσθ' ἵππων ταὶ διγονούς τείτο ταυροθεῖς quomodo a Dionysio Halicarnasseo de compos. verb. 4 p. 31, quem secutus est Hermogenes de ideis I p. 230 W. 295 Sp., idem dici poterat herous esse et Sotadius, nisi huic tribuisse hos pedes: epitrithum secundum, molossum, ionicum a maiore, spondeum? \* Sed, ut mittam Graecos ac praeteream etiam illum apud Marium Plotium 9, 3 p. 2659 P. 293 G. *Maecenam Romani fecerunt summi*, Diomedes art. gramm. II p. 464 P. 468 K. quomodo dicere poterat non deesse quosdam qui

Sed obstat numeri Ionici mollities neque ad horum verborum sententiam neque ad universi operis gravitatem conveniens. Potest vero etiam esse octonarius trochaicus sublata dipodia prima:

*!... spársis hastis lóngis campus spléndet et horret;*

nam ceterae quae esse possunt eius divisiones plures id in se molesti habent, quod iam supra in aliis monuimus, ut sententia una in duorum versuum partes discerpatur; possunt denique esse anapaesti dimetrum subsequente monometro:

*sparsis hastis longis campus  
splendét et horret.*

Utrique numeri idonei sunt quibus rei vastae atque terribilis, qualis est campi proeliantium armis obsiti, adspectu conmotus significetur animus atque percussus; utrique diaeresium sunt patientissimi. Ego anapaestos praefero. In octonariis enim primum non ab ipso initio sed a secunda dipodia exorditur sententia; deinde *hastis longis*, quae verba inter se cohaerent, in priorem et posteriorem versus partem ea diaeresi quae est primaria vehementius quam in anapaestis distrahitur, ut quamdam inconcinnitatem sentire videar; denique ingratissimus est in paenultima sede dactylus. Contra in anapaestis et spondei multiplicati et pedum sublationes perpetuo cum verborum accentibus pugnantes pertinaciam atrocitatemque proelii velut quibusdam coloribus orationis egregie depingunt. Atque cum in systematis anapaesticis monometri soleant dimetris esse conexi ac fere continuati, distinguuntur tamen aliquatenus, et oxymoron illud *splendet et horret* quoddam per se efficiens corpusculum metricum locum praebebat peropportunum cui insultaret Luciliana inrisio *horret et alget*.

Anapaestos quidem non magis quam octonarios fecit Lucilius, cuius poesis hexametris, quadratis, senariis continebatur; sed suis eum numeris accommodare Ennianos necesse erat. Et cum illa *splendet et horret* pariter atque *horret et alget* optime convenienter numeris dactylicis, ad libros hexametro versu scriptos ea referre consentaneum est, idque confirmatur eo quod, quibus in libris maxime derisisse veteres poetas Lucilius traditur a Porphyrone comm. in Horat. sat. I, 10, 53, tertius et nonus et decimus in iis sunt, quos illo versu conscriptos fuisse inter omnes constat. Poetas autem in aliorum versibus excitandis, sive imitarentur serio sive per ludibrium detorquerent, id sibi sumpsisse licentiae, ut illorum numeros converterent ad suos, non modo per se non est mirum, sed etiam omnium gentium litteris conprobatur. Sic Aristophanes Lysistr. 538 Homeri, Av. 609 Hesiodi hexametrum, Nub. 967 carminum lyricorum exordia anapaestis inseruit: sed in

Ciceronem reprehenderent, quod in principio divinationis (in Caecil. I, 1) metrum fecisset Sotadium: *Si quis vestrum, iudices, aut eorum qui adsunt, si statim a primo pede molossum exclusisset?* Quomodo Quintilianus VIII, 4, 77 ex verissima Caroli Lachmanni interpretatione (ind. lect. Berolin. 1849—50 p. 3) similiter de Sallustii existimare Iugurthae exordio: *Falso queritur de natura sua?* Qui eloquentiae magister, — iuvat enim hoc quoque per occasionem commemorare, — cum etiam aptius pleniisque eiusdem rei exemplum adferre posset initium Catilinae: *'Omnis hominés qui sesé student praestíre,* cur non fecerit quaerentibus vix aliud respondeas, quam magis tum frequentatam videri Iugurthae lectionem quam Catilinae; qui liber cum moribus rationibusque illius saeculi paulo minus quam alter concineret. Denique, ut illuc redeam, Enni ex Sota sive Asoto versus qui est apud Festum v. tonsum p. 356 M.: *dlius in mari vult magnó tenere tónsam,* estne is versus Sotadius an non est? Itaque nec Varronis veritus sum Sotadii molossum tribuere in saturae quaë inscribitur Desultorius fr. 2. De quo ipso si forte dubitare licet, ea tamen est Varronis Sotadiorum paucitas, ut, etsi alterum exemplum non inveniatur, rationalem hunc ionici vicarium excludere ab eius usu non liceat. Ex irrationalibus epitritus secundus apud Varronem nullam dubitationem habet, qui quomodo ex anaclasi ortus sit, facile perspicitur: — — ~ ~, — — ~ ~, — — ~ ~. Tertione etiam usus sit, qui insurgente accentu nascitur ut secundus labente, nondum satis liquet, quamquam non est per se incredibile; quartum certe nec ratio nec usus tuerit. Sed hac de re aliisque eodem pertinentibus et de Attii didascalicon metro fusius exponere alio, spero, tempore vacabit.

Latinis ut consistamus, illud quod in proverbium abiit (cfr. Cicer. pro Cael. 25, 61) *hinc illae lacrimae* pars est apud Terentium in Andria I, 1, 99 versus iambici senarii, post apud Horatium epist. I, 19, 41 hexametri dactylici; item apud Terentium Eunuch. I, 1, 4 *exclusit, revocat, redeam?* non, *si me obsecret,* senarius est, apud Horatium serm. II, 3, 264 *exclusit, revocat, redeam?* non, *si obsecret* pars hexametri; in Plauti Pseudulo 741 *murrinam, passum, defrutum* priorem septenarii trochaici partem explet, in Varronis Anthropololi fr. 6 partim alterius clausula est, partim alterius initium<sup>1)</sup>; apud Plautum Menaechmis 368 verba haec *ubi lubet, ire licet accubitum* in fine cantici versus anapaestici Pherecratei vim habent, apud Varronem in Taphe Menippu fr. 7 partem faciunt septenarii trochaici<sup>2)</sup>; item apud Varronem in Andabatis fr. 1 δοπολὺς ἀκρατος in posteriore septenarii trochaici parte est, cum apud Menandrum monostich. 420 trimetri iambici initium sit. Ennii ex Epicharmo, si verum vedit Vahlenus, est apud Varronem de ling. Lat. V, 60 hic versus trochaicus: *frigori miscet calorem atque umori aritudinem, quem idem Varro in Prometheo fr. 9 O. 6 R.* hos in iambos mutavit: *frigis calore atque umore aritudinem | miscet.*<sup>3)</sup> Pacuvii et Naevii verba, alterius e senario, alterius e Saturnio in hexametri heroici numeros a Vergilio translata attulit Macrobius saturn. VI, 1, 36. 38. Horatius carm. II, 16, 27 illo *nihil est ab omni parte beatum* clausit stropham Sapphicam, Ausonius in commemoratione professorum Burdigalensium 6, 54 carmen anapaesticum.<sup>5)</sup> Sed in re non dubia nihil attinet cumulare exempla.

Fuse lateque uno de versiculo disputavimus, quod quorsum pertineat nunc apparebit. De hoc enim versu ut quisque sibi persuaserit, ita fere de universo Ennii Scipione, quale fuerit carmen, statuet. Ac fuerunt qui propter reliquos duos locos, quos a Macrobio et Gellio servatos supra p. 9 exscripsimus, fuisse illud arbitrarentur poema epicum de laudibus et rebus gestis Scipionis versibus septenariis trochaicis conscriptum. Quod cum iam olim existimasset Petrus Scrivenerius in Collectaneis veterum tragicorum p. 37 et Gerardus Ioannes Vossius de historicis Latinis I p. 10, quibuscum facere videtur Ioannes Albertus Fabricius in Bibliotheca Latina III p. 229 ed. Ernest.,

1) Vid. Eumenid. I p. 17. In priore versu dipodium *ut Plautus ait* puto ferri posse, sed numerosius legetur *ut ait Plautus.*

2) Vid. Vindic. Varron. alt. p. 89 in Philolog. t. XVII. In Plauti ipsius loco *ire licet* tribus syllabis efferendum puto quasi sit *ilicet.*

3) Vid. ibid. p. 88. Sunt haec tria exempla ex iis quorum de metris ne verbo quidem mentio facta est ab Alexandro Riesio in sua Varronianorum editione.

4) Horum numeri ne Popmam quidem fugerunt; cfr. edit. Franeker. 1599 p. 91. Metri mutationem diserte agnovit Riesius p. 76. Locum Varronis Periplu lib. II περὶ γιλοσογίας fr. 2 olim in anapaestos redegi, Philolog. VIII p. 238, neendum pudet quamvis suaviter deridentibus Buechelero et Riesio. Quo in loco si haec verba: *panis, pemma, lucuns, cibus qui purissimus multo est,* Lucilii sunt, quod peringeniose ac satis probabiliter coniecit Buechelerus in Mus. Rhen. nov. XIII p. 426, exemplum est versus dactylici in anapaestos translati, contra atque ea, de quibus adhuc tam multis disputavimus, anapaestorum in dactylos.

5) Apud Ausonium si *ab* non est insitivum, *omni* priore syllaba correpta accedit exemplis *m* litterae etiam mediis in vocibus obscuratae, quae posui Varr. Eumen. III p. 6, documentoque est veterem loquellam, in Plauto observatam a Friderico Ritschelio prolegg. Trinumm. p. CXXXII sqq., in sermone familiari mansisse per saecula atque ipsis nonnumquam etiam dactylicis poetis obrepisse. Atque cum idem etiam *n* littera interdum passa sit, ut *in* non faciat positionem, *inde, unde* pyrrhichiorum loco sint, — de aliis vid. Ritschl. p. CXXVIII sqq., — nonne id iam ita comparatum videri potest, ut praesidio sit versui qui est in Vergilii Catalectis 8, 9 ita scriptus in optimo codice *bidente dicit attodisse forcipe,* in aliis *attondisse,* nec opus sit conjectura *attotonse,* quamvis ingeniosa et aliter necessaria? (De *forcipe* cfr. Lobeck. paralipp. gramm. Gr. p. 124 n. 5 et quae scripsi lucubrat. pontific. primit. p. 37). Ceterum verba Horatiana ab imitatoribus in alios numeros deflexa plura invenies apud Dillenburgerum in Zeitschr. f. d. Gymnasialwesen N. F. II p. 325 sqq.

facit certe Georgius Christophorus Hambergerus zuverläss. Nachr. I p. 367, tum praeunte in scholis quas de literarum Romanarum historia habuit Friderico Augusto Wolfio viri docti hoc saeculo plurimi atque clarissimi eam sententiam amplexi sunt, e quibus quos nominem habeo Adolffum Aenotheum Langium, Carolum Ludovicum Blumium, Ioannem Henricum Neukirchium, Guilemum Henricum Grauertum, Franciscum Ritterum, Christianum Felicem Baehrium, Godofredum Bernhardyum, Ottomem Ribbeckium, et qui postea destiterunt sententia Carolum Petrum et Theodorum Mommsenium.<sup>1)</sup> At stare ea sententia non potest, nisi aut versus ille de quo disputavimus ad septenariorum trochaicorum numeros referatur, quod quam non sit probabile videmur demonstrasse, aut Macrobius e Scipione eum adferenti non habeatur fides.

Atque ita fere sensisse apud Vahlenum p. LXXXV lego Theodorum Hugium, qui cum de carmine epico assentiretur Rittero nec versum illum non posset non pro hexametro habere, in annalibus ei sedem adsignaret Macrobiumque opinaretur, cum Scipionem diceret, non eo nomine insignitum carmen sed partem annalium dicere eam quae maxime in Scipionis rebus versaretur. Merito id sprevit Vahlenus nec, quod quidem sciam, quisquam probavit, nisi forte Lucianus Müllerus hexametrum defendendo idem se sentire significavit, quod, quia ipse sententiam suam non aperuit, praestat in ambiguo relinquere. Sed vel unum eum locum Macrobii, a quo hanc commentationem exorsi sumus, inspexisse satis est, ut falsam esse quam Hugius excogitavit rationem intellegas. Etenim Macrobius, quamvis in antiquis auctoribus citandis non suo, ut dicitur, Marte agat, sed superiores quosdam grammaticos sequatur, id tamen in tota hac operis sui parte tenuit constanter, ut numeris librorum, non rerum aut hominum nominibus Ennii annalium locos designaret, potuitque tenere eo constantius, quod nemo fere aliter, nisi qui solum poetae nomen ponerent. Accedit quod alio loco in hoc eodem Saturnaliorum libro hac eadem formula usus *Ennius in Scipione* eos versus attulit, qui cum trochaici sint ne umbram quidem dubitationis habent quin ab annalibus sint alienissimi. Et ne illud quidem excusari potest probabiliter, intercidisse videri verba e Scipione ducta una cum numero libri e quo esset ille hexameter *sparsis h. l. c. spl. e. h.*,<sup>2)</sup> quoniam hac ipsa in parte quae est de Vergil. Aen. XI, 602 annalibus iam ante defunctus

1) F. A. Wolf Vorlesungen üb. d. röm. Literat. hrsggb. v. Gürler p. 127\* (repperi etiam in chartis Theodori Kniewelii quae sunt in bibliotheca publica Gedanensi). Lange vindie. tragoed. Rom. p. 57\*. Blum Einleit. in Roms alte Gesch. p. 48\*. Neukirch de fabula togata p. 62 sqq. Grauert üb. d. Metrik d. röm. Epiker p. 254 (Koene üb. d. Sprache d. röm. Epiker). Ritter üb. d. Scipio des Q. Ennius (Ztschr. f. d. Alterth.-Wissensch. 1840) c. 389 sqq. Baehr Ennius in Ersch u. Gruber allgem. Encyclopädie d. W. u. K. I, 34 p. 358 et Pauly Real-Encyclopädie d. class. Alterth.-Wissensch. III p. 144, minus definite Gesch. d. röm. Liter. I p. 210 ed. III. Bernhardy Grundriss d. röm. Liter. p. 407, 410 sq. ed. III. Ribbeck Bemerkungen zu Ennius (Rhein. Mus. N. F. X) p. 287. Peter röm. Geschichte I p. 598 ed. I. Mommsen röm. Geschichte I p. 632 ed. I. Locos asterisco notatos ipse non vidi, nec studui plures anquirere.

2) Apud Nonium eiusmodi lacunarum plura sunt exempla cum ab aliis meque ipso olim adlata tum unum nuper luculentissimum ab Hugone Ilbergio in Symbola philologor. Bonnens. p. 437 sq., quo ille loco apud Nonium p. 312, 24 Ciceronis verba Vergilio adhaesisse, Enni autem, quod quidam putarant, mentionem esse nullam demonstravit. Sed ne Macrobius quidem, quamquam Nonio integror, caret laennis. Velut in hoc huius libri VI capite quarto § 9 ad Vergilii versus III, 154: *transmittunt cursu campos atque agmina campi | pulverulenta fuga glomerant haec adscripta leguntur; quod ait speciose transmittunt pro transeunt, sic et Lucretius in secundo (329 Lachm.): et circumvolitant equites mediosque repente | transmittunt valido quatientes impete campos. Sed et Paestanus Vibonensis sic ait pedibus equos transmisimus quod est transivimus.* Debuit Macrobius scribere: *Sed et Cicero ad Atticum libro sexto decimo: duo sinus fuerunt quos transmitti oportet, Paestanus et Vibonensis, utrumque pedibus aequis transmisimus.* Verba sunt Ciceronis ad Atticum XVI, 6, 1; deerravit librarius a sed et ad exitum verbi oportere. Vulgaris loci depravati restitutio, cuius auctor est Isacius Pontanus, abhorret a consuetudine Macrobii. Verba sic ait nata e Cic. Att. a margine in paginam migrasse et utrumque expulisse.

est, quam Erechtheum et Scipionem commemoraret. Sin recte fides adiungitur Macrobii loco, primum ea de quibus quaerimus verba hexametrum esse non est necesse; si non est necesse, pessimus haud dubie hexameter prae quovis alio quod verba capiunt metro iure spernetur. Deinde si tetrametri seu septenarii trochaici mensuram capiunt quidem verba, sed aegre capiunt, et aliis numeris suavius adcommodantur, Lucilii autem inrisio non ad numeros ac versum sed ad verba ac sententiam pertinet, sequitur ut non fuerit carmen epicum Scipio, quippe quod in eodem metro debuerit permanere.

Variantibus autem numeris unum relinquitur, id quod etiam nomen prodere videtur, genus scaenicum, a quo genere non seiungimus veterem illam saturae speciem, qua lectioni potius quam actioni composita non mediocrem Ennius, post Ennium Varro laudem meruerunt, cum alteram a Lucilio novatam atque a scaenici ad epici generis similitudinem deflexam Horatius expoliret Persioque ac Iuvenali imitandam relinqueret. Excluditur haud dubie comoedia, utpote tanti argumenti id est hominis in republica excellentissimi quemque ipse Ennius maximo opere coleret observaretque summa gravitate omnio indigna. Supersunt tragoeadia, non illa quidem ad Graecos auctores expressa palliata, sed quam ob celebrata domestica Romanorum facta praetextam vel praetextatam fabulam veteres adpellabant, et saturae ea species quam coluisse Ennius traditur. Quarum illa quidem hac in caussa superiorum saeculorum philologos quosdam nacta est patronos, ut Hieronymum Columnam, Martinum Antonium Delrium, Iulium Caesarem Bulengerum, Gerardum Ioannem Vossium, hunc quidem parum sibi constantem, nostra et patrum memoria Hermannum Planckium et subdubitatem Frider. Henr. Bothium, haec non ita pridem Laurentium Lerschium, Ioannem Vahlenum, Theodorum Mommsenium mutata priore sententia, Alexandrum Riesum, Guilelmum Teuffelium.<sup>1)</sup> Quaeritur utrorum sit sententia probabilius.

De ea re antequam quid sentiam promo, quod dixi ipsum nomen videri genus scaenicum prodere, id quale sit paucis edisseram. Est autem res paulo altius repetenda. Nomen sane quem quisque conscripsisset libro quod vellet inponere omni aetate liberum fuit; sed veteres non ita ad lubidinem id fecisse, nulla prorsus ut in ea re aut lege aut consuetudine tenerentur, facilius concedent qui in antiquarum litterarum historia aliquem usum habent, quam quid quoque in libro denominando potissimum secuti esse videantur iam satis liquere. Accedit quod in referendis librorum elogiis neque librarii neque grammatici, quique praeter grammaticos veterum scriptorum memoriam recoluerunt, tam religiose semper versati reperiuntur, ut omnem aut perspicuitatis aut compendii rationem prae archetyporum fide spernerent. Atque utinam aliquis satis doctus et litteraria suplectile satis instructus — neque enim hac in re quicquam aegrius fertur quam librorum bonorum penuria, — eam sibi sumat provinciam, ut quid sciri hoc in genere possit iam latere desinat! Interim hominum nomina propria recto casu libris inscripta quid valeant quaerenti mihi quae subnata sit opinio, non celare constitui, fore sperans ut vix incohata mihi quaestio a doctoribus beatioribus aliquando absolvatur.<sup>2)</sup>

1) Delrio syntagm. tragoeod. Latin. I p. 104. 166 ed. Antverp. 1593. Bulenger. de theatro I, 6. (Graev. thesaur. VIII col. 837.) G. I. Voss. instit. poet. II, 7, 4. 17, 1. Ennii Medea ed. Planck p. 32\*. Poetae scenic. Latin. ed. Bothe V, 1 p. 59. — Lersch de Ennii Scipione (Rhein. Mus. V) p. 420 sq. Ennian. poes. reliqu. rec. Vahlen. p. LXXXIV sqq. Mommsen röm. Geschichte I p. 930. 932. ed. III. Varronis satur. Menipp. reliqu. rec. Riese p. 4. Teuffel Gesch. d. röm. Literatur p. 127.

2) Non hominum tantum nomina, quamquam his solis me continui, sed etiam gentium ac populorum, nec propria tantum sed etiam adpellativa, nec animantium tantum sed etiam locorum et rerum sic usurpata esse semel adnotasse sufficiat.

Primum igitur quod hodie non ita raro fieri videmus, ut quasi symbolice inponatur libro argumenti significandi gratia nomen hominis in eo argumento quandam egregie versati, cuius tamen ipsius nullae sint in ipso libro partes, quemadmodum, ut hoc utar, luculentissimum illud de theologiae mysticae Graecorum caussis opus auctor Christianus Augustus Lobeckius Aglaophamum inscripsit, id vereor ne praeter veterum morem fiat, qui id tenuisse videntur, ut quo ab homine liber aliquis nomen caperet, eius hominis eo in libro partes quaedam essent praeципuae. Deinde hoc quoque excipiendum est, si quis alieni operis fuit interpres et libri, quem interpretatus est, auctor pro libro nominatus. Veluti apud nostros homines Vossii Homerus, apud Anglos Drydenii Virgilius, apud Francogallos Amyoti Plutarchus ubi adpellatur, quodnam opus sit omnes norunt. Sic saepe laudatur a Prisciano Cicero in *Arato* semelque ab eo qui de ultimis syllabis librum ad Caelestinum scripsit, Probus a quibusdam dictus; item Germanicus Caesar in *Arato* bis a Prisciano, semel a Lactantio<sup>1)</sup>, qui bis scripsit in *Arateo carmine*. Ut Arati phaenomena et prognostica Cicero ac Germanicus, sic Euhemeri ιερὰν ἀναγραφὴν interpretatus est Ennius; hinc a Varrone rust. I, 48 citatur Ennius in *Euhemeri libris versis*, a Lactantio instit. divin. I, 13, 14 in *Euhemero*, alio loco in *sacra historia*, sed I, 11, 65 dicit *Euhemerus*. Eodem modo se habet quod a Cicerone Acad. pr. II, 16, 51 et a Prisciano instit. gramm. VII, 64 p. 764 P. 341 H. citatur Ennius in *Epicharmo*; Varro enim ling. Lat. V, 68 *Epicharmus Enni* ait et V, 59 *Epicharmus de mente humana dicit*.<sup>2)</sup> Itaque dissentiens a Vahleno et Leopoldo Valentino Schmidtio hic quoque interpretem egisse Ennium puto, non quidem ut comoediam aliquam Epicharmi Latinam faceret, cuius ipsum nomen videtur redditurus fuisse, quemadmodum Cicero Xenophontis Platonisque interpres citatur Cicero in *Oeconomico*, in *Protagora*, in *Timaeo*, sed quae Laertius Diogenes VIII, 78 commemorat Epicharmi ὑπομνήματα ἐν οἷς φυσιολογεῖ γνωμολογεῖ λατολογεῖ. Nam ea hypomnemata versibus conscripta fuisse docent quae sequuntur verba Laertii: καὶ παραστιχίδια ἐν τοῖς πλείστοις τῶν ὑπομνήματων πεποίηκεν, οἷς διασαρεῖ ὅπι αὐτοῦ ἔστι τὰ συγγράμματα: atque etiam in quibusdam Ennianis, ut ait Cicero de divinat. II, 54, 111, haec erat acrostichis, ut deinceps ex primis versuum litteris concenteretur Q. Ennius fecit.<sup>3)</sup>

1) Lactant. instit. divin. I, 11, 64: *Caesar quoque in Arato refert, Aglaosthenem dicere Iovem, cum ex insula Naxo adversus Titanas proficiseretur et sacrificium faceret in litore, aquilam ei in auspicio advolasse, quam victor bono omni acceptam tutelae suae subiugari. Ostendit hic locus scholiasten qui dicitur Germanici iam Lactantii aetate eodem fuisse codice cum ipso Germanici Arateo carmine coniunctum (cfr. Alfr. Breysig in Philologo XIII p. 666), Lactantio autem idem accidisse, ut auctorem adpellaret pro scholiaste, quod Laertio Diogeni I, 22 Platonem citanti accidisse suspicatus sum in Philologo III p. 31.*

2) Nec aliis quam Ennianus fuerit apud Columellam rust. VIII, 2 Euhemerus nec VII, 3 Epicharmus, sine interpres nomine commemorati. In Sergii seu quisquis est explanatione in Donatum II p. 553 (Grammatici Lat. ed. Keil t. III) legitur: *Dicimus fiare pro fieri velut Isocrates 'talis fiare circa parentes tuos, quales optaveris circa te esse filios tuos'. Locus Isocratis est πρὸς Δημόρικον 14 p. 4 Steph. τοιοῦτος γίγνονται περὶ τὸν γονεῖς, οἵοντος ἡνέξαιο περὶ σεαντὸν γενέσθαι τὸν σεαντὸν παῖδας. Hic quoque non nominatur interpres, non quod vulgo notus esset, opinor, ut Ennius, sed quod ignorabatur magister antiquis, cuius umbratili opera olim fuerat interpretando illo Isocratis libello morali puerorum institutioni provisum. Sed fiare ne quis nimium exhorrescat tollendumve putet, cavit grammaticus addens hoc: Lucanus in IIII (v. 214) 'certe ut vincare potes'. Atque ab antiquis et fitur dictum est et fiebantur et fitum est. Sed quod legitur fieri corruptum videtur, quamquam et ipse inauditus est imperativus fieri, quem velim restituere; velut si quis dicat fruare esse pro fruere, quod potuerat alicubi Donatus adferre ex Terentii Hautontimorumeno (2, 3, 104) vel Eunucho (2, 3, 81). Quam rem inlato Lucani exemplo explanator obscuravit.*

3) Vid. Menag. ad Diog. Laert. V, 93. Lehrs. in Mus. Rhen. nov. II p. 354. Quamquam ne in prosa quidem oratione exeunte antiquitate talibus quidam abstinuerunt. Velut circiter annum 425 p. Chr. Philostorgius ecclesiasticam historiam scripsit

Sed est genus interpretationi simile si quis suis quidem verbis sed alium hominem loquentem fecit, eiusque nomine eam vel orationem vel declamationem vel narrationem inscripsit, quales sunt Antisthenis, si verus is auctor, Ajax et Ulixes, Isocratis Nicocles et Archidamus, Luciani seu potius alius cuiusdam sophistae Lucius.<sup>1)</sup> Proxime accedunt libri de vita ac laudibus alicuius conscripti, qui breviter interdum ipso tantum eius hominis nomine adpellantur<sup>2)</sup>, velut Isocratis Busiris, qui est ἔπαινος καὶ ἀπολογία Βούσιριδος, Euagoras qui etiam Εὐαγόρου ἐγκώμιον inscribitur, ut Helenae encomium interdum solo nomine Helenae (Harpocrat. v. Θεράπων et Ομηρίδαι), Xenophontis ut fertur Agesilaus, Theocriti Berenice, cui par videtur fuisse quod superest eius ἐγκώμιον εἰς Πτολεμαῖον, Parthenii Bias, quod ex genere epicediorum carmen fuisse suspicatur Meinekius anal. Alex. p. 263, eiusdem Arete, sive est Ἀρήνης ἐπικήδειον τῆς γαμετῆς sive Ἀρήνης ἐγκώμιον ἐν τοισὶν βιβλίοις (Suid. v. Παρθένιος), Ciceronis Cato (Macrob. VI, 2, 33. Priscian. X, 18 p. 886 P. 510 H.) qui plenus inscribebatur Laus Catonis (Gell. XIII, 19 al. 20), Pseudovergilii Maecenas, Luciani Herodotus qui et Ἡροδότου ἐγκώμιον, eiusdem Alexander, qui est apud Thomam Magistrum Ἀλεξάνδρου βίος, atque aliae quaedam eiusdem declamatiunculae, in quibus etiam sunt quibus sola exempla denominationis caussam praebuerunt. Interdum etiam factum est ut, ad quem scripsisset auctor, eius nomine omissa praepositione liber adpellaretur, ut Isocratis Philippus, qui et est et pluribus in libris dicitur πρὸς Φίλιππον, in bonis quibusdam Harpocrationis codicibus etiam Φιλιππικός. Similique ratione inscriptos fuisse Euphorionis Alexandrinus, Apollodorum, Artemidorum, Demosthenem, fortasse etiam Polycharem, itemque Parthenii Crinagoram sententia est Augusti Meinekii Euphor. p. 24 = Analect. Alex. p. 16. Quamquam ratio postulare videtur, id quod factum est in Isocratis Philippo, ut is, ad quem missus sit liber, idem aliquo modo scribendi materiam sese auctori praebuerit. Quod utrum tenuerint Alexandrini illi an aliud secuti sint, quoniam vix pauculi versus supersunt, parum liquet. Referri autem hoc potest Callimachi eumque imitati Ovidii Ibis, quo illi nomine in ludibrium simulato adversarium, carmine seu vere seu ficte ad eum misso, ut proprie esset πρὸς Ἰβῖν et ad Ibin, conviciis devotionibusque doctrina involutis onerarunt.<sup>3)</sup> Eademne vero ratione nomen inditum sit Domitii Marti Cicutae decernere non ausim.

---

Ἐν λόγοις ιβ', ὡν αἱ ἀπερχαὶ συντιθέμεναι τὸ τοῦ συγγεγραφότος ἀπαρτίζονται Φιλοστοργίου ὄνομα, ut scribit Photius biblioth. c. 40, et centum fere annis post Agapetus Diaconus suam Schedam Regiam composuit soluta oratione ad hanc LXXII litterarum acrostichidem dispositis singulis de officio boni principis praecepsit: ΤΩ ΘΕΙΟΤΑΤΩ ΚΑΙ ΕΥΣΕΒΕΣΤΑΤΩ ΒΑΣΙΛΕΙ ΗΜΩΝ ΙΟΥΣΤΙΝΙΑΝΩ ΑΓΑΠΗΤΟΣ Ο ΕΛΛΑΧΙΣΤΟΣ ΔΙΑΚΟΝΟΣ. — De Ennii autem Epicharmo quoniam mentio incidit, obiter hic quaesierim a viris doctis, velintne ei carmini tribuere versnum de Heraclito fragmenta, quae apud Ciceronem de finib. II, 5, 15 a Madvigio agnita sic videntur posse resarciri:

cognomento qui scotinus [graece] perhibetur, quia  
de natura nimis obscure memoravit [sententiam].

1) Adriani Tyrii, ut puto, sed ita, ut is liber, qui inter Luciani scripta per nominis similitudinem iam Photii tempore delatus erat, de maiori septem librorum opere in hanc epitomen coactus, Apuleii metamorphoses vero et emboliis et libris auctae esse videantur.

2) Brevitatis caussa etiam Sallustii de coniuratione Catilinae et de bello Iugurthino libri iam a veteribus grammaticis nonnullis saepe adpellantur Catilina et Iugurtha. Eadem ratione Apollonii Rhodii librum quemdam citans Parthenius modo Καῦνος modo Καύνον ζτιστι dicit. Parthenii narrationes singulae praepositione περὶ inscribuntur, ut περὶ Λευκίππου, Antonini Liberalis nominativis, ut Λεύκιππος. Plutarchi vitae sola nomina casu recto inscripta habent, sed citatur ille ἐν τῷ τοῦ δεῖνος βιῳ. Item Laertius Diogenes in suis vitis citandis utitur formula ἐν τοῖς περὶ, cum ipsae recto casu in libris inscribantur. Achillis Tatii τὰ περὶ Λευκίππην καὶ Κλειτοφῶντα a posteris saepe uno nomine adpellantur Λευκίππη.

3) Laertius Diogenes VIII, 67 καὶ ὁ Τίμων δὲ διασεγεῖ τὴν διάθεσιν αὐτοῦ (Pyrrhonis) ἐν οἷς πρὸς Πλάτωνα διέξεισαν. At VIII, 64 et 76 et ab Aristocle Messenio ap. Euseb. praep. euang. XIII, 18, 11 citatur Τίμων ἐν τῷ

Verum duo potissimum sunt genera late patentia, quae in hanc nos quaestionem induxerunt. Alterum est carminum epicorum minorum, antiquissimaque exempla habet Hesiodi Aegimium et quae Homeri sub nomine ferebantur, Margiten et Cercopas; sed dimanavit potissimum ab elegia, in qua Mimnermi Nanno, Antimachi Lyde, Hermesianactis Leontium<sup>1)</sup>, a mulieribus quibusdam poetarum amicis adpellatae, cum multa in eis carminibus fuissent non tantum amatorie sed etiam historice scripta, initium dederunt eodem modo denominandi ea quoque carmina quae ab Alexandrinis maxime poetis facta sunt satis multa, quae breviore quam iustum aliquod epos ambitu circumscripta sive dei alicuius deaeve sive herois vel heroinae res cum amatorio casu ut plurimum coniunctas atque ex recondita fabularum memoria erutas versibus nunc elegiacis nunc solis hexametris persequebantur. Eiusmodi enim carmina, sive ἐπύλλια dicere placet sive εἰδύλλια sive Latino more eclogas, ipsis illorum deorum heroum solebant nominibus casu recto inscribi. Eo ex genere hodie quaedam supersunt in Theocriteis, item Moschi Europe et Megara; ex desperditis nomino Callimachi Hecalen, Cydippen, Galateam, Daedalum; Apollonii Rhodii Canopum<sup>2)</sup>; Eratosthenis Mercurium, Erigonem; Philetæ Cererem, Mercurium; Nicaeneti Lyrcum; Euphorionis Dionysum, Hippomedontem, Hyacinthum, Inachum, Philoctetem; Alexandri Aetoli Apollinem, Circam; Simmiae Rhodii Apollinem; Parthenii Venerem, Anthippen, Iphiclum, Herculem. Nec nego plura inveniri posse. Secuti sunt Alexandrinorum exemplum Latini nonnulli sub exitum maxime reipublicae; quo ex genere sunt praeter Cirin, quae in Vergilianis fertur, Ciceronis Alcyona, Cornificii Glaucus, Cinnae Smyrna, Calvi Io. Neque hoc loco praetermittendus videtur Ciceronis esse Marius, etsi non fabulam antiquam sed res sua memoria a summo viro ac municipali suo praeclare gestas eo sibi homo Arpinas carmine exornandas sumpsit. Quae maiorem in molem excreverant carmina epica, non ipsis nominibus propriis inscribebantur, sed sicut Homerica et cyclica derivatis, ut Heraclea vel Heracleas, Diomedea, Achilleis, Theseis, Perseis, Aeneis, Iohannis, Gigantias, Alexandrias, Antoninias, Dionysiaca, Bassarica, Argonautica, Thebais vel Thebaica, Messeniaca, Persica, Pharsalica, Punica<sup>3)</sup>, alia; atque etiam Ennii annalibus doctum nomen a quibusdam inpositum est Romais.

---

**Πέρωνι.** Ex Aristocles loco intellegitur dialogum fuisse librum, quem soluta oratione conpositum fuisse recte iudicavit C. Wachsmuthius de Tim. sillogr. p. 9. Eratosthenis liber Arsinoe cum videri possit ad illam reginam scriptus fuisse, a Bernhardyo Eratosth. p. 197 recte, ut puto, inter dialogos refertur. Atque, ut hoc quoque per occasionem adnotem, eiusdem ex Aristone verba, quae sunt apud Athenaeum VII p. 281c dialogi sermonem sapere mihi videntur. Διαλόγοντος πολλον̄ scripsisse Eratostenem Suidas tradit, Eudocia πλείστους.

1) Certa haec sunt amicarum eademque librorum nomina. Non tamen eadem ratione aut Davidi Ruhnkenio (epist. crit. II p. 284 ed. 1782) videri debuit Propertius librum primum elegiarum Cynthia inscripsisse, aut Augusto Weichertu (poetar. Lat. reliq. p. 260 sq.) Domitii Marsi elegiarum corpus, si quod umquam extitit, inscriptum fuisse Melaenis, perperam intellectis versibus Martialis XIII, 189 et VII, 29, 8.

2) Choliambis hic conscriptus fuit, ut Soterichi Oasitae sub Diocletiano viventis Python, de quo Augustus Nauckius in Philologo IIII p. 614 sqq. V p. 512. Eiusdem Soterichi memorabiles sunt librorum inscriptiones τὰ κατὰ Πάνθειαν τὴν Βαψκωνίαν, (de qua Xenophon in Cyru paedie,) et τὰ κατὰ Ἀριάδην, ut Tryphiodori τὰ καθ' Ἰπποδάμειαν et Musaei quae supersunt τὰ καθ' Ἡρῷ καὶ Λέανδρον. Aetatis indicia in his cernere videor.

3) Bellum Punicum scripsit Naevius, bellum Histricum Hostius, bellum Sequanicum Varro Atacinus, bellum Siculum Cornelius Severus, non Punica, Histrica, Sequanica, Sicilica, quamquam Punici septem, Histri et Sequanici bini minimum libri fuerunt. Claudianus addita praepositione de bello Getico, de bello Gildonico. Sic Cicero consulatum suum cecinit, Claudianus de consulatu Fl. Mallii Theodori, itemque aliorum. Sed haec quidem inconstantia latissime vagatur. Nam raro admodum exemplo Cicero librum quem debuit de oratore inscribere oratorem inscripsit distinguendi caussa, altero indice iam occupato.

Medium quoddam inter hoc et illud quod dicetur genus obtinent lyrici, quorum in carminibus cum iam pridem mos fuisset veterum fabularum narrationes inserere, dithyrambici prope ad ipsam fabulae actionem et genus scaenicum accedebant. E quibus commemoramus Philoxeni Cyclopem vel Galateam, Telestis Aesculapium, Timothei Dianam, Nauplium, Laertem, Nioben, Cyclopem, Arei Laconis (Antonin. Liberal. metamorph. 12) Cycnum. Atque cum his nescio an aliqua ex parte comparari possint Laevii Alcestis, Ino, Protesilaodamia.

Sed omnium latissime hoc de quo agimus denominandi genus patet in fabulis scaenicorum et in dialogis disserentium. Quorum libri cum etiam alia ratione ad significandum argumentum inscriberentur, tum a praecipua quadam inter conloquentes persona<sup>1)</sup> nominatorum tanta est et eorum qui supersunt et vero eorum qui perierunt per omnes aetates<sup>2)</sup> multitudo, ut exempla adferre longum ac prorsus supervacaneum sit, — plus trecenta enim scribenda essent librorum nomina, — videturque eam haec res vim habere, ut, si cuius sit vel poetici vel de philosophia eiusve simili disciplina libri nomen tantum cognitum, id nomen si hominis sit, librum illum non temere agat qui aut poema dramaticum aut dialogum fuisse interim praesumat donec, ut aiunt, probetur contrarium, i. e. falso illud ac nulla cum veri similitudine praesumi adpareat.<sup>3)</sup>

Sed revertar eo unde egressus sum in hanc de nominibus disputationem per aliena multa diffusam, quae tamen quam sit manca atque inelaborata non potui ipse inter scribendum non animadvertere. Est enim particula ab universae de librorum indicibus quaestionis quasi contextu divulsa, sentiebamque nimis multa deesse scribenti ad quae paranda datum non erat spatium. Sed tamen hoc qualecumque est παρεμπόρευμα eo valitulum puto, ut quo in genere poematum Ennii Scipio habendus sit paulo certius iudicetur. Vix unus enim fuerit e tota epici carminis nomenclatura Ennii Scipioni compar Ciceronis Marius; nam ad Alexandrinorum et intereuntis reipublicae poetarum delicias ac scitamenta veteres illi non aspirabant; ab eisdem Cicero tamen propius aberat.

1) Paucissimi sunt dialogi non conloquentis cuiuspiam sed eius de quo sermo fit nomine inscripti, ut inter Platonicos qui feruntur Hipparchus et Minos, quorum indices esse spurious iudicavit Augustus Boeckhius in Plat. Min. p. 10, et Luciani Eunuchus et sive Philostrati, ut Car. Lud. Kayserus voluit, sive alias, certe non Luciani, Nero. Nam qui Philopatris inscribitur libellus cum Luciani scriptis edi solitus et ad eorum imitationem ab infimae aetatis homine Byzantino inficitissime conscriptus ne ab argumento quidem, nisi forte a clausula, nomen sumpsit.

2) Quod erat in Platonis et Xenophontis dialogis antiquitus institutum, id, ut omittam Plutarchi Gryllum, Favorini Plutarchum et Alcibiadem, Luciani plurimos, etiam quinto et sexto post Christum natum saeculo obtinuisse ostendunt Theodoreti Eranistes, Anonymi Hermippus, Aeneae Gazaei Theophrastus, Zachariae Scholastici Ammonius. Atque etiam VIImo saeculo qui floruit Theophylactus suo de quaestionibus physicis dialogo nomen putaverim indidisse Antisthenem.

3) Itaque Varronis libri logistorici, Atticus, Calenus, Catus, Curio, Gallus vel (al. aut) Fundanius, Laterensis, Marius, Messalla, Nepos, Orestes, Pius, Scaevela, Scaurus, Sisenna, Tubero, dubito an eadem ratione compositi atque inscripti fuerint qua Ciceronis dialogi, Cato Maior, Laelius, Hortensius, Luellus, Brutus, et, sit licet aliquanto posterior, Minucii Felicis Octavius. Iuvant sententiam verba *inquam* et *inquit* in duabus Cati fragmentis occurrentia ap. Non. p. 520, 30 et 494, 20; iuvat de re rustica librorum ratio ac scriptura; nec fere adversum pugnant quae docte ingenioseque, ut solet, de illis libris disputavit Fridericus Ritschelius in prooemio Bonnensi 1845/46. Sed Gallum Fundanium quod dixit damnata *vel* sive *aut* particula, non invitus quidem audio, neendum habeo tamen qui negem fieri potuisse ut dialogi persona alia esset Gallus alia Fundanius, quarum ab alterutra in aliis exemplis alia vel auctoris vel librariorum arbitrio aliquam ob caussam fieret denominatio, ut modo alterutrum nomen modo utrumque inde grammatici proferrent. Sic Nonii i. e. eius a quo Nonius exempla sumpsit (p. 71, 26, 205, 30, 217, 1) non tam accusanda fuerit negligentia quam laudanda diligentia. Accedit quod excepto C. Fundatio Fundulo cos. a. u. 511 nullius e libera republica Fundanii memoria extat qui cognomen habuerit, et cognomen nomini praepositum extra poesin a more Varronianae videtur abhorrire. Nec aliorum quam ad *diwrrvuiar* pertinet saturae cuiusdam Varroniænae inscriptio *Dolium aut Seria*, in qua explicanda mire quidam argutati sunt.

Qui cum ternis illis quos de consulatu suo et de temporibus suis libros poetica oratione composuit, suis ut videtur magis quam populi Romani laudibus inserviens, morem illum res publice gestas epico plurium librorum carmine celebrandi, in Graecis litteris a Choerilo, in Latinis a Naevio Ennioque institutum, pariter atque illi vel superiores aetate vel aequales Hostius, Furius, Varro Atacinus, secutus esset, in relicuis aut interpretem egit, ut in Arato, aut ad Alexandrinum illud genus epylliorum uno se vel libro vel libello continentium adcommodavit, quo ex genere referuntur Halcyona<sup>1)</sup>, Uxorius, Nilus, Limon<sup>2)</sup>, elegia Ialemos.<sup>3)</sup> Marius medium quemdam locum obtinuit, carmen argumento ac sententia Romanum, ambitu et tractatione Alexandrinum. Contra in scaenico genere sive satura placet ad Scipionis nominis similitudinem adferri possunt e Varronianis, ut mythica et ridicule ficta omittam, Agatho, Parmeno, Marcipor, Manius, Serranus, Tanaquil; sive praeoptatur praetexta, Romulus, Brutus, Decius, Marcellus, Paulus, alii; ut vel solo ex nomine adpareat, quanto probabilius ad scaenicum quam ad epicum genus Ennii Scipio referatur. Accedit autem non modo diversitas metri, sed ipsum etiam per se metrum. Nam etiamsi ille versus, quem nos anapaestis vindicavimus, multi pro malo hexametro habuerunt, in tetrametri trochaici catalectic formam aliquam cum Ribbeckio sit redigendus, totusque Scipio, ut Ioanni Nicolao Madvigio visum ad Cic. de fin. II, 32, 106, tetrametris trochaicis scriptus fuit, id ipsum tamen, fuisse aliquod umquam carmen epicum apud veteres Romanos versu non Saturnio aut heroo sed quadrato conpositum, nemo adhuc, quod sciam, demonstravit. Orationis colorem iam ne opus quidem est antestari.

Misso igitur epico genere et praelato scaenico sive dramatico qui saturam fuisse hoc de quo quaerimus poema dicunt his fere utuntur argumentis. Ac primam quidem caussam attulit Lerschius p. 420, quod carmen neque epicum nec dramaticum nec lyricum esse possit. Cui de epico prorsus consentimus, de lyrico nulla est aut esse potest quaestio, quia id genus multo post apud Romanos effloruit; de dramatico quod ait neminem sibi persuasurum ab Ennio amicum virum tam clarum vel viventem adhuc vel modo mortuum in scaenam esse productum, quod omnino contra pietatem Ennii dignitatemque ipsius Africani esse neminem non concessurum, id non videtur dicturus fuisse, si iam tum cum illud scriberet legere potuisse Mauricius Haupt in Schneidewini Philologo I p. 375 et Grauertum in eodem Philologo II p. 117 demonstrantes fabulam praetextam fuisse Clastidium Naevii, qua victoria spoliaque opima de Virdumaro Gallorum duce apud Clastidium a M. Claudio Marcello relata narrarentur. Facta enim ea pugna est a. u. 532, Marcellus quintum consul proelio occisus a. u. 546, Naevius mortuus a. u. 551 aut 553, ut etiam superstes esset ei quem viventem adhuc in scaenam produxerat. Nec firmius est argumentum alterum e Diomedis grammatici verbis ductum III p. 483 P. 446 G. 485 K. (Sueton. reliq. ed. Reifferscheid p. 20): *et olim carmen quod ex variis poematis constabat satira vocabatur, quale scripserunt Pacuvius et*

1) Capitolin. vit. Gordian. 3: *cuncta illa quae Cicero edidit, Marium et Aratum et Alcyonas et Uxoriū et Nilum.* In codice est *cicero et demerio et aratum et balcyonas*, quod emendavit Salmasius. Legendum puto *Halcyonam*, maxime propter Nonii locum p. 65, 8: *Praevius dictus est antecedens. Cicero: Alcyon hunc genuit claris delapsus ab astris, praevius aurorae solis noctisque satelles.* Facilius enim est ad restituendum Cicero *Alcyona*, quam Cicero *Alcyonibus*. Prioris versiculi intercidit initium *Lucifer vel Phosphorus*; cfr. Ovid. metam. XI, 271.

2) De hoc libri indice vid. Ritschl. ad Sueton. vit. Terent. p. 524 ed. Reifferscheid. Epigrammata in viros clarissimos eum complexum esse olim suspicatus est Tanaquil Faber.

3) Sic emendandum putavi nomen quod vulgo *Tamelastis* legitur ap. Servium ad Vergil. bucol. 1, 58. Multa ibi in lectione variant e quibus proxime ad verum accedere videtur *Talemagis*, e conjecturis quae a Lione adfertur Vossiana *Ιαλεμάστης*, apud Orellium *Ιαλεμιστης*.

*Ennius*; eius definitionis omnia momenta in fragmentis inveniri. Quae Diomedis seu potius Suetonii verba a Probo ducta cum ad numerorum varietatem rettulisse ille videatur, quam ego quoque potissimum significari a grammatico arbitror et reliquam notationem neglegi, nulla in litteris Latinis fuit aut tragœdia aut comoedia in qua non esset aliqua numerorum varietas adeoque maior plerumque quam quae in Scipionis fragmentis a Lerschio deprehenditur. Nam praeter quaedam versuum schemata ipsi soli extare visa quadrati dumtaxat relinquuntur et heroi, quorum unus est<sup>1)</sup> ille de quo p. 4—13 disputatum a nobis est, relicui sine veterum testium auctoritate ad hoc carmen referuntur. Tertium argumentum repetitur ex Gellii verbis IIII, 7 eum versum quem p. 9 exscripsimus sic citantis: *solius tamen Ennii versum unum ponit* (Valerius Probus) *ex libro qui Scipio inscribitur*. Quod carmen si epicum aut fabula fuerit, haec verba se non intellegere, ex sua sententia supplendum esse *Satirarum*. At vocem quae est *liber* etiam de fabula usurpari Persii, Quintiliani, Propertii, Frontonis exemplis docuit Otto Iahnius ad Pers. sat. I, 76 p. 98, cuius sententiam e librorum Varronianorum catalogo confirmavit Petermannus üb. d. Satire d. Ennius II p. 3 (Hirschberg. 1852), ut Vahlenus p. LXXXIV ex Gellii verbis non magis illis qui olim tragœdiam quamdam Scipionem somniarent obstaculum quam sibi qui saturam velit praesidium nasci dicat. Nec magis sane praesidio est epicum carmen tuentibus, ut Rittero c. 389.

Quartam denique habere se caussam ait Lerschius eamque vix refellendam, quod fragmentum aliquod ab omnibus uno ore ad Ennii Scipionem referatur, quod idem in Satiris sit. Illud enim Ennii apud Ciceronem:

*testes sunt campi magni*

apud Nonium quoque s. v. *politiones* auctius aliquantum legi ex Ennii Sat. lib. III:

*testes sunt*

*lati campi, quos gerit Africa terra politos.*

Discrimen enim illud *magni* et *lati* non fore ut urgeas, quippe quod facile oriri potuerit ei qui e memoria versum ascribat. Quemadmodum igitur Lucilius, teste schol. ad Hor. ep. II, 1, 16, vitam Scipionis (minoris voluit addere) privatam per Saturam descripsiterit; ita Ennium bella maioris; idque fecisse libro *Satirarum* tertio. Atque hoc quartum argumentum Vahlenus quoque tenuit adiuvarique eo vidit de satura cogitationem, quae ob metrorum varietatem ipsum subierat, qui in certis testatisque fragmentis duo invenisset septenariis trochaicis decurrentia, tertium ex hexametris inter Saturnios rettulisset. Ac sane Saturnius ille etsi vereor ne iam deploratus sit<sup>2)</sup>, ad ipsam sententiam nihil interest si pro eo anapaesti ponantur. Ciceronis hi sunt loci, alter de finib. II, 32, 106: *itaque beator Africanus cum patria illo modo loquens: desine, Roma, tuos hostis, reliquaque praeclare: nam tibi munimenta<sup>3)</sup> mei peperere labores;* alter de orat. III, 42, 167, ubi de traductione loquitur: *sed ornandi caussa proprium proprio commutatum: desine, Roma, tuos hostis, et: testes sunt campi magni.* Nonii autem hic p. 66, 23—30: *Politiones, agrorum cultus diligentes, ut polita omnia dicimus exculta et ad nitorem deducta.* Ennius

1) Non premam quae in doctrina metrica Lerschius mire peccavit, partim iam pridem satis a Rittero reprehensa c. 390. Quod vero p. 417 etiam orationem pedestrem ab ipso Ennio consulto esse adhibitam statuens verum sibi visus est augurari, ne iis quidem, nedum mihi, probabitur qui eius instituti laudem Varroni vindicant.

2) Non est receptus inter monumenta versus Saturnii congesta a Carolo Bartschio in libello qui inscribitur der saturnische Vers und die altdeutsche Langzeile p. 50—58.

3) Dubito an cum Klotzio scribere debuerim *moenimenta*.

*Satyrarum* (ita Basilienses, antea *Sat.*) lib. III: *testes sunt lati campi, quos gerit Africa terra politos.* Idem *Annali libro VIII*: *rastros dentefabres*<sup>1)</sup> *capsit causa poliendi agri* (v. 324 Vahl.). *Varro: quid mirum? ex agri depolitionibus eiciuntur; hic in cenaculo polito recipiuntur.* Enimvero si non esset Nonius, apud Ciceronem nemo nisi Annalium locos cogitaret, nec quisquam locos heroo versu scriptos qui in eodem de oratore capite occurrunt tres Annalibus tribuere dubitavit. At loci quos ex saturarum libro Nonius adfert similitudo cum illis est tanta, in *campi magni* et *lati campi* vocabulis discrepantia tam levis, ut hanc quasi arcem habeant qui saturam fuisse Ennii Scipionem defendunt. Quae sententia si vera sit, ad universam veteris saturae notionem constituendam finesque regundos vim videtur habitura esse non mediocrem. Itaque primum non absurdum duxi totum exscribere locum Nonii, quoniam de eius fide aestimandum est, si cui forte mirum videatur ex saturis citari locum cuius argumentum sit annalium libro nono conveniens, ex annalium libro nono verba saturis aptiora, in Varronianis quae et ipsa saturae colorem quemdam habent libri nomen desiderari. Sed dabimus integrum esse Nonii auctoritatem, quid alind sequitur quam tribus locis de Africano dixisse Ennium, in Annalibus, in Scipione, in Saturis? Quod cur facere non potuerit aut debuerit, nihil caussae video; si enim bis, quidni etiam tertium? Neque vero non est speciosa magis similitudo quam vera atque tanta, ut prorsus eumdem vel eosdem versus laudasse dicendi sint Cicero et Nonius. Ac nimis fortasse elevavit eam Ritterus, quod alterius versus initium forte cum alterius exitu congruere dixit; dandum enim est Lerschio ac Vahleno non ita inter se diversa esse verba *campi magni* et *lati campi* ut omnino non potuerint per incuriam memoriter citantium permutari. Sed tamen ille aliquid vidit. Non enim de nihilo est quod versus initium a Cicerone citari existimavit, quoniam et reliqua omnia quae eodem in capite sunt Ennii exempla eo modo exhibentur, et aliquanto meliores sunt numeri versus heroi sic incipientis: *testes sunt campi magni*, quam exeuntis in *testes sunt*, incipientis autem alterius a *lati campi*. Ac ne illud quidem satis certum est eosdem utroque loco significari campos. Iamdudum enim adnotatum est a Ciceronis interpretibus campos magnos esse quae sunt τὰ μεγάλα πεδία καλούμενα apud Polybium XIII, 7 sq. — *magnos, ita vocant, campos* dicit Livius XXX, 8, 3, — in quibus ingentem Scipio cladem Syphaci Hasdrubalique intulit a. u. 551. Hanc par erat commemorari ab Africano ea in oratione, qua eum poeta edentem fecit illud magnificentum *dosome Roma tuos hostes*, et enumerari gravissima illa proelia quibus potentissimos Romani nominis adversarios in ipsa eorum terra prostravisset. Hic igitur versus eorum revocabat temporum memoriā, de quibus dictum erat a poeta *Africa terribili tremit horrida terra tumultu*. Ea vero a condicione quantum distant *lati campi quos gerit Africa terra politos!* Non longius certe a bello pax, a vastatione cultura. Quamobrem quos Cicero versus attulit, si quos alios, relinquemus Annalibus, ad quos iure referuntur omnes quotcumque Cicero scriptis suis inseruit hexametri Enniani, ut ad tragedias, nisi quid est diserte monitum, senarii, septenarii, octonarii, anapaesti. Sed quem Nonius praestat, eum non magis est quod abiudicemus a saturis quam quod adiudicemus Scipioni. Nec mirum easdem figurās, eadem coniuncta verba variis in locis ab eodem poeta iterari. Si facile fertur *Africa terra* bis dictum eis in locis, quos modo protulimus, si dicere poetae licuit in tragedia quae inscribitur Hectoris lytra: *constitit, credo, Scamander, arbores vento vacant, et paene*

1) Non opus est Hugii conjectura *dentiferos*, modo scribatur *dentifabres*. Indicantur rastri ferreis dentibus adfabre instructi ad proscindendum agrum glebosum pro vilioribus ac ligneis quibus in arenoso utuntur.

eisdem verbis in Scipione: *constitere amnes perennes, arbores vento vacant*<sup>1)</sup>; cur incredibile sit bis eum usum fuisse formula *testes sunt campi*, praesertim si prius placuisset? Ac potest id in satura factum esse cum quadam prioris dicti recordatione, quamquam non dixerim, ut Ribbeckius p. 287, Ennium semet ipsum citasse. Nec tamen iterasse puto ea cum claudicatione numerorum, quae moleste fertur in exemplo Noniano ad hexametri legem redacto, cum bonus sit atque ad saturae habitum conveniens tetrameter anapaesticus Aristophaneus:

*testés sunt lati cámphi quos gerit 'Africa terra politos.*<sup>2)</sup>

Confutatis argumentis quibus Lerschius Vahlenusque usi sunt de Alexandri Riesii paucis dicendum est opinione, qui Scipionem Ennianum ait inter saturas recte a Vahleno referri, nec tamen tertium saturarum librum eum fuisse. Ac de tertio quidem libro facile adsentior, quod et fragmenta illa decimo loco a Vahleno e Cicerone Nonioque coacervata, quo uno fulcro ista nititur sententia, paulo etiam certius quam a Ribbeckio factum est videatur removisse, nec nego versum *nam is nón bene vult tibi, qui falso criminat*<sup>3)</sup> (Non. p. 470, 13 fr. 3 Vahl.) nimis esse humilem pro grandi et elata Scipionis dictione. Sed quod satis ei fuerunt ad saturam struendam fragmenta quae exstant trochaica duo, hexameter unus, non habeo quomodo conprobem. Hexametrumne putavit a tragedia alienum? Et ipse credo non eo usos esse veteres tragicos Latinos<sup>4)</sup> ante Senecam, cuius exstat in Oedipo et Medea; sed esse versum illum hexametrum pernego et satis demonstrasse mihi videor. Sin anapaesti sunt, quid ad saturam? Et qualem ille voluit saturam? Scilicet librum, — librum enim Gellius vocat, — poematis varii et generis et metri, sed quae ad Scipionem Africanum pertinerent omnia, constantem. Rem simillimam iam ante eum excogitaverunt Henricus Duntzerus et Augustus Petermannus<sup>5)</sup>, nisi quod alter in eo saturarum libro praeter Scipionem etiam alios viros excellentes Romanorum videri poematiis fuisse celebratos sed a potissimo librum denominatum opinabatur, Petermannus de unius Scipionis non tam rebus gestis quam animi virtutibus fuisse carmina et lyrice et enarrativa libro uno comprehensa, nec tamen fuisse eum librum aut saturam aut saturarum. Et hoc quidem negat sapientissime. Talem enim librum non video qui saturam dicere possit nisi qui prave intellexerit haec verba Diomedis: *olim carmen quod ex variis poematibus constabat satira vocabatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius*, quae supra attulimus, et illa p. 483 P. 486 K.: *satura carmine multa simul poemata comprehenduntur*. Non ille librum dixit

1) Nollem hoc malignius interpretatus esset Mommsenius p. 930. Hectoris lytra an Scipionem prius scripserit Ennius ignoratur. Eiusdem ipsorum Ennii versuum metaphrasin Germanicam impense laudarem, si tanti esset γλαῦξ' εἰς Ἀθῆνας.

2) Bothius Mus. Rhen. V p. 266 senarios fecit, scribens *exploitos*.

3) In libris Nonii additum est *apud te*, ut versus esse videatur septenarius trochaicus in fine truncatus.

4) Duorum ex Ennii tragediis exemplorum alterum quod fuit in Ambracia praetexta iam Ribbeckius comic. Lat. reliq. p. X ad anapaestos revocavit recte, nisi quod malim equidem: ...! ... — et aequora | salsa veges ingentibus ventis. Est eius fabulae fr. 2 B. 3 V. 4 R. ap. Non. p. 183, 3. Alterum quod ex Melanippa s. Menalippa attulit Macrobius VI, 4, 7 (fr. 5 B. 4 VR.) et ipsum facile in anapaestos redigitur: ...! ... lumine sic tremulo | terra ét cava caerulea cándent; vel si quis mecum suspicetur particulam quae est *sic* insertam ab aliquo librario esse hexametri efficiendi caussa (cfr. p. 11 n. Philol. XVIII p. 362. Varr. Eum. III p. 2 n. 1. Hübner ad Diog. Laert. VIII, 91. Lachmann. in Lucret. III, 211.), expulsa autem et metrum et sententiam iuvari: ...! ... lumine tremulo | terra ét cava caerulea cándent. Anapaestum dactylo subiectum non fugiebant veteres, cfr. Att. Philoctet. fr. 1 R. inclite, parva prodite patria, | nomine celebri claroque potens; fr. 19 iamiam absumor, conficit animam; Censorin. fragm. 14 p. 96 Iahn: orté beato lumine volitans qui pér caelum candidus equitas. Graeca vide ap. Gaisford. ad Hephaest. p. 279 ed. I. Hermann. elem. doctr. metr. p. 376 sq.

5) Duntzer Kritik u. Erklärung d. horazischen Gedichte (Brunsvic. 1841) II p. 8 sq.\* Petermann üb. d. Satire d. Ennius II p. 7 (progr. gymnas. Hirschberg. 1852).

sed carmen, unde perspicitur quid hic valeat poematis vocabulum. Qui enim legerit caput quod inscribitur *de poematibus* incipitque a verbis *poematos sunt genera tria. aut enim activum est vel imitativum, quod Graeci dramaticon vel mimeticon e. q. s.*, p. 479 P. 482 K. sqq., videbit poema ab eo dici primum omnino poesin, deinde singula orationis poeticæ genera, quorum ille varietatem scribit propriam fuisse veteris illius saturae, ut ipsum quidem carmen esset unum atque continuum sed per plures poesis characteras formasque solius poetae arbitratu vagaretur. Quamquam quod ideo negat Petermannus saturam fuisse Ennii Scipionem, quod neque Gellius neque Macrobius nec omnino quisquam veterum fuisse dicant, eo argumento si standum esset, quanta foret Varronis saturarum paucitas, quarum olim CL numerus fuit et nunc plus LXXXX nomina feruntur, cum XVII tantum saturarum nomine apud scriptores adpellentur! In talibus quam saepe rationem pro testimonio habere cogimur! Deinde ex vano quidem est quod Dünzterus ad alios quoque praeter Scipionem ista poemata pertinuisse coniicit meritoque a Petermanno redarguitur; sed quod hic ait non res bellicas Africani, quippe quas in Annalibus poeta celebrasset, sed egregias animi generosi virtutes eum his, si dis placet, carminibus exornasse tantum abest ut credibile sit, ut prorsus contrarium ipsa doceant quae supersunt fragmenta. Denique totum illud quod fingunt de libro plura poemata continente nescio an ab Ennii aetate plane abhorreat, Horatianisque ac posterioribus magis conveniat temporibus, quibus mos erat eclogas seorsum ante ac singillatim editas in maioris quemdam molis librum configere communique nec tamen eo umquam, nisi fallor, hominis nomine inposito denuo in vulgus emittere. Nec magis verum puto Porphyriom Horatii versus II, 1, 16 sq. sic interpretantem: *si non potes gesta Caesaris scribere, at potes iustitiam et fortitudinem, ut Lucilius Scipionis fecit, qui vitam illius privatam descripsit, Ennius vero bella*, in eam deflectere sententiam, ut pluribus poeta Suessanus carminibus minoribus Scipionis amici virtutes cecinisse dicatur, eiusque rei cum Scipione Enniano comparationem facere. Nam neque Ennium neque Lucilium carmina nisi tota atque continua edidisse credo; maiora in plures libros dividere, minora in unum corpus configere posteriorum fuit. Qua de re subtilius disputare et longum est nec huius loci. Veterum morem si recte perspicimus, Ennius Africani maioris laudes Annalium, Lucilius minoris Saturarum libris inseruisse putandi sunt iis locis, quibus maxime convenient, nec aliud dicere voluisse Porphyrio. Scipio autem Ennii carmen, qualecumque fuit, unum per seque totum fuisse censendum est. Sed paene iam vereor, ne cum spectris mihi pugna sit; ita illarum opinionum velut radices quasdam quibus enata esse possint cernere videor, caussas rationesque idoneas non invenio.

Omisi adhuc dicere argumentum Scipionis non videri saturae aptum. Sed Ritterum dicentem audio, res bello fortiter a Scipione gestas Ennium non fuisse in saturarum congerie propinaturum id per se debere intellegi, nec sine gravissimis caussis tantam in eum conferri oportere perversitatem atque ineptiam. Quod ille paulo inflatius quidem, sed tamen, ut opinor, recte. Obloquitur Petermannus falso illum de saturae notione iudicare arguens; non eam unice in vitiis hominum aequalium notandis esse versatam, non unice ad mores corrigendos spectasse. Atque equidem concedo et potuisse dici et esse dicta in saturis multa graviter, magnifice, animose, sed eam tamen inde ab origine usque ad Horatium huius operis mansisse videmus indolem, ut et in varietate poematum, — cum Diomede loquor, — et in aequalitate numerorum constaret illud, quod Horatius ait, *ridentem dicere verum*, omnisque gravitas atque severitas facetiis quibusdam conspersa esset atque hilaritate. A quo quam aliena sint Scipionis non modo quas habemus reliquias sed ipsum argumentum, quis est qui non sentiat? Saturis ηθος magis conveniat, huic πάθος. Itaque Vahlenus non esse qui

indolem saturae Ennianae cognorit infandum clamaturum tantae laudis virum in satura praedicari maiore cum fiducia atque adversarii contemptione quam auctoritate scribit; negavitque id sibi persuaderi Ribbeckius, quamvis extendatur atque dilatetur saturae notio; recte autem Bernhardyus, argumentum Scipionis fuisse militare, granditatem orationis abhorrere a satura, in qua popularia tantum argumenta et cum vita communi coniuncta locum habuerint.

Sequitur, si carminis metrum non fuit unum ideoque epicum fuisse non potest, saturam autem fuisse neque ab iis qui contenderunt demonstratum est et ne putetur res ipsa dissuadet, ut ad veterem ac nescio quibus de caussis iam fere explosam redeatur sententiam eorum, qui fabulam praetextam fuisse Ennii Scipionem existimarunt. Ac damnataam quidem a pluribus eam inveni sententiam, caussam damnationis inveni idoneam nullam. Nullam quidem certe esse quam a Gellio librum Scipionem dicente et Neukirchius et Lerschius repetunt, iam supra demonstratum est p. 22; item nihil est, quod Lerschius negavit quemquam sibi persuasurum, ab Ennio amicum virum tam clarum vel viventem adhuc vel modo mortuum in scaenam esse productum; id contra pietatem Ennii dignitatemque ipsius Africani esse. De Naevii Clastidio iam supra diximus p. 21; habemus etiam ipsius Ennii exemplum. Cuius cum inde ab Hieronymo Columna inter comoedias relata fuisset fabula Ambracia, de comoedia dubitavit Vahlenus p. LXXXI, praetextam esse pronuntiavit Ribbeckius com. Lat. reliq. p. IX eaque Ambraciae a. u. 565 oppugnationem, cui M. Fulvii Nobilioris contubernialis ipse adfuerat, poetam inlustrasse. Idque vel pauculorum, quos quattuor numero Nonius servavit, versiculorum oratio ita confirmat, ut prorsus dubitari non possit, praesertim cum nihil insit momenti tragicci in narratiuncula Antonini Liberalis metamorph. 4, in qua Bothius, tragediae iam ante Ribbeckium sed crepidatae vindex (Mus. Rhen. V p. 264), fabulae argumentum deprehendisse sibi videbatur, oppugnatio autem illa, quam enarrat Livius XXXVIII, 4, multa praeberet ad concinnandam fabulam praetextam convenientia, quod genus, res gestas Romanorum, ut ait Paulus Diaconus exc. Fest. p. 223, continens scriptas dictumque, ut cum Diomede loquar p. 487 P. 489 K., quia fere regum vel magistratum qui praetexta utuntur in eiusmodi fabulis acta comprehenduntur, vir magnus Bartholdus Georgius Niebuhrius aptissime cum Shaksperii historiis comparavit (röm. Gesch. I p. 544 ed. II). Pacuvii Paulum ad Cannensem pugnam Neukirchius rettulit, cuius sententia probatur Ribbeckio, mihi potius Bothii, qui ad Pydnensem. Cladesne populi Romani an victoria scaenae convenientior fuerit, iam Clastidium et Ambracia non sinunt dubitare; ipsae reliquia ad belli Macedonici quaedam momenta commodius referuntur<sup>1)</sup>. Concidit autem hic quoque quod minus sibi videri probabile dixit Neukirchius, poetam aequalem suum, cuius historia nondum e longinquitate quadam hominum animis obversaretur, in scaenam introduxisse, idque vel eo quod ipse addit, vere interdum homines viventes in his fabulis representatos esse. His igitur tribus praetextis quarta accedit Ennii Scipio, habemusque quattuor fabulas Clastidium, Scipionem, Ambraciā, Paulum, eum quattuor triumphis M. Claudii Marcelli, P. Cornelii Africani, M. Fulvii Nobilioris, L. Aemilii Pauli coniunctas. Nec indignum sua persona summos in republica viros iudicasse praetextis in scaenam produci eo intellegitur quod ad Ciceronem ep. ad

1) Fr. 1 patér supreme nōstri progeniū patris: Iovem precatur rex Macédonum ex Hereulis genere, Iovis filii; secundum Neukirchium Paulus adloquitur Iovem patrem Martis, qui auctor haberetur generis Romani. Fr. 2 Novio vulgo tributum nunc nīc te obtestor célere sancta subveni | caesarie pertinere videtur ad Apollinem eiusdemque sacrum in summo monte Olympo positum; Plutarch. vit. Aemil. Paul. 15. Fr. 3 sagittis plumbo et saxis grandinat nīvit: Bothius confert Livii XXXX, 35. Fr. 4 qua vīz caprigeno géneri gradilis gréssio est: cfr. Plutarch. 13.

famil. X, 32 C. Asinius Pollio scribit, Balbum quaestorem ludis quos Gadibus fecit praetextam de suo itinere ad L. Lentulum proconsulem sollicitandum posuisse, et quidem cum ageretur flevisse memoria rerum gestarum conmotum, seque illam praetextam in urbem misisse amico legendam significat; vult enim Pollio ad hominis summum virum in provincia et quasi alterum Caesarem agentis superbiam id pertinere. Relicuas quarum memoria superest praetextas, Naevii Romulum sive Alimonium Romuli et Remi, Attii Brutum, eiusdem Aeneadas sive Decium, Cassii Brutum, quarum postrema quam in republica caussam habuerit facile intellegitur, satis sit hoc loco nominasse; neque enim magis ad nostram quaestionem attinent quam quas recitationi non actioni destinatas sub imperatoribus scripserunt Persius Vesciam<sup>1)</sup>, Curiatus Maternus Catonem et Domitium et fortasse Neronem, denique incertus auctor eam quae nunc falso Senecae nomine fertur Octaviam. Hoc tamen Ennii caussa iuvat adiicere, quod Vahlenus videt Mus. Rhen. nov. XVI p. 580, Ennii Sabinas non esse e saturis corruptum nomen sed fabulae scaenicae i. e. praetextae, ad quam nunc habeo quo rectius quam ad Naevii Romulum referam precationem illam Hersiliae, quam ex Cn. Gellii historici annali tertio relatam ab A. Gellio noct. Att. XIII, 22 manifesta poeticae orationis ipsorumque versuum vestigia habere ostendi in Schneidewini Philologo VII p. 592 sq. Fuerunt igitur, quarum memoria supersit, praetextae Pacuvii una, Naevii et Attii binae, Ennii tres.

Ac ne sine teste quidem prorsus est Scipio praetexta. Diomedes p. 487 P. 490 K. eiusmodi fabularum exemplaadfert Brutum, Decium, Marcellum. His quartum addit Africanum vir sua aetate longe doctissimus Hrabanus Maurus de arte gramm. II p. 47 (opp. t. I Colon. 1627), cuius verborum, quae indicavit Fridericus Theophilus Welckerus d. griech. Tragödien III p. 1346, eo maior est auctoritas, quod non obscure secutus est Diomedem (cfr. Keil. praefat. p. XXXII), Diomedis autem quae nunc habemus verba non sunt integra eo loco sed lacunis nonnulla intercepta (cfr. Reifferscheid Sueton. reliq. p. 15). Itaque quoniam Hrabanum id nomen de sua doctrina adiecerisse non est veri simile, — cui enim acceptum referret? — in Diomedis qui nunc sunt codicibus intercidisse arbitrabimur, pro quo Suetonii, pro Suetonio stabit M. Valerii Probi clarissimi Neronis aetate grammatici auctoritas. Ac ne illud quidem, quamvis leviculum videatur, animadvertisse paenitet, quod apud Diomedem legitur: *Brutus vel Decius, item Marcellus*, apud Hrabanum: *Brutus vel Decius, item Marcellus vel Africanus et his similia*. Distingui enim videntur particulae quae est item duo praetextarum genera, alterum quo antiqui viri illustres in scaenam producerentur, alterum quo aequales. Marcellus enim Naevii Clastidium indicat et fortasse fuit alterum eiusdem fabulae nomen. Qui cum iam non videri debeat materiae tantum significandae caussa adpositus esse, ut quondam Welckero visum, in Scipione praetexta vindicanda iniquum fuerit eidem testimonio fidem derogare.

Iam si illud non est vanum, quod quasdam praetextas ea habuisse argumenta diximus quae essent coniuncta cum quibusdam triumphis eodem tempore actis, ut ipsis ludis triumphalibus eas actas esse probabiliter coniiciamus, de tempore factae actaeque Scipionis non erit quod magnopere dubitetur. Itaque Ritterum non multo post Scipionis ex Africa reditu carmen traditum esse victori a poeta dicentem probamus eatenus ut pro carmine tradito fabula acta ponatur. Quamquam, ut Nobiliori in Aetolia, ita Scipioni in Africa comitem eum fuisse et cum triumphante redisse, si forte ex hoc poemate sive aliunde conlegit Claudianus in praefatione libri III de laudibus Stilichonis

2) De qua cfr. Mart. Hertz. klin.-philol. Streifzug p. 25 sqq. Ribbeck. trag. reliq. p. 351.

v. 7—20, etsi non arbitrer prorsus confictum esse, poetae semet cum Ennio, cum Scipione Stilichonem comparanti quantum sit fidei habendum in re manifesto exornata ambiguum est. Illud eredibilius, hoc potissimum opere Ennium ea laudis suae iecisse fundamenta, quibus parato iam virorum nobilissimorum favore perque eum ad historiae Romanae fontes aditu summum illud ad quod Annalibus escendit poesis Romanae fastigium constitueretur.

Fabulae autem qualem fuisse ponimus Ennii Scipionem quam apte convenient anapaesti, ad quos versum eum unde exorsa est disputatio nostra revocavimus, ea de re non opus est pluribus verbis disserere. Fragmenta, ut iam uno in conspectu conlocentur, certa atque testata haec habemus tria:

- I. *! mundus caéli vastus cónstitit siléntio,  
ét Neptunus saévus undis ásperis pausám dedit;  
Sól equis itér repressit úngulis volántibus,  
cónstitere amnés perennes, árbores ventó vocant.*
- II. *quá[que] propter Hánibilis<sup>1)</sup> cópias considerat.*
- III. *sparsis hastis longis campus  
splendét et horret.*

Primum extare apud Macrobius VI, 2, 26, alterum apud Gellium IIII, 7, tertium apud Macrobius VI, 4, 6 iam supra dictum est; lectionis varietatem qui noscere volent non valde memorabilem, ad editiones criticas Vahlenumque reiicimus. Sententia quorsum pertineat, in secundo et tertio satis adparet; primo adhiberi solet Livii locus XXVIII, 17, 12: *ipse cum C. Laelio duabus quinqueremibus ab Carthagine profectus tranquillo mari plurum remis, interdum et leni adiuvante vento in Africam traiecit*. Nescio an vix recte; quandoquidem non tam hanc brevem quattuor dierum excursionem a Carthagine nova Syphacis conciliandi causa factam, quamvis per se memorabilem, par erat in carmine non amplissimo sic ambitiose exornari quam illam magnae classis multarumque legionum in Africam traiectionem biennio post Lilybaeo factam a qua devicto hoste demum finitoque bello summus dux in Italiam urbemque rediit. De qua cum Livius dicat XXVIII, 27, 6: *vento secundo vehementi satis proiecti celeriter e conspectu terrae ablati sunt*, neque ad solam navigationem, fiat licet vento lenissimo, amnum consistentium arborumque vento vacantium commemoratio pertineat, *ἀρετέον* puto et circumspiciendam rem aliquam magnificam, augustam, religionis plenam, quae dum fit universa rerum natura omnesque dii quasi favere linguis videantur, sicut eo ipso loco quo haec Ennii verba imitatus est Vergilius Aen. X, 100 sqq. Atque mihi, si hariolari licet in re ignorabili, attendenda imprimis videntur preces illae solennes quas Scipionem cum classe in Africam trajecturum, silentio per praetoriam facto, antequam cruda exta victimae, uti mos erat, in mare porrikeret tubaque signum daret proficisciendi, fecisse, veteres ut videtur auctores secutus, scribit Livius XXVIII, 27, 1—5.

---

1) In hexametro dactylus est *Hannibal* ann. 373 (Gell. VII, 2. Non. 195, 19): *Hannibal audaci cum pectore de me hortatur. Varia in casibus obliquis utitur quantitate Lucilius, modo producens, ut XXVI fr. 24 Gerl. (Non. 186, 30): cóntra flagitiúm nescire vinci bello a bárbaro | Viriato Annibálē? modo corripiens, ut XXVIII fr. 13 (Non. 240, 9): sic inquam veteratórem illum, vetulúm lupum, | Annibalem acceptum. Item Varro nunc producit, ut Hercules tuam fidem fr. 1 (Non. p. 47, 32): noctu Hánibilis cím fugavi exércitum; nunc corripit, ut περὶ ἔξαγωγῆς fr. 1 (Non. p. 345, 22): quaérít ibidem ab Hánibale cur biberit medicamén. quia | Románis, inquit, mé Prusiades trádere | volébat. Scripsi medicamen, libri medicamentum; septenarium excipiunt senarii.*

De ceteris quae ad Africanum eiusque res gestas pertinent Ennianae poesis reliquiis eas quae hexametri numeros referunt Annalibus omnes tribuendas iudico. Item Annales potius quam Scipionem praetextam spectasse arbitror Aelianum, de quo haec sunt memoriae prodita apud Suidam: *"Ἐννιος Ρωμαῖος ποιητής ὁν Αἰλιανὸς ἐπαινεῖν ἄξιόν φησι. Σκιτίωνα γὰρ ἄδων καὶ ἐπὶ μέγα ἔξαραι τὸν ἄνδρα βουλόμενός φησι μόνον ἀν' Ομηρον ἐπαξίονς ἐπείν Σκιτίωνος. δῆλον δὲ ὡς ἐτεθήπει τοῦ ποιητοῦ τὴν μεγαλόνοιαν καὶ τῶν μέτρων τὸ μεγαλεῖον καὶ ἄξιάγαστον.* Ac nescio an huius loci rationem habuerit Lachmannus cum comment. in Lucret. III, 1034 duo quaedam fragmenta in prooemio annalium posita fuisse suspicaretur. De quibus restat ut dicamus, quia non quidem optimo, at aliquo tamen iure dubitari videtur posse an in Scipione locum habuerint.

Ac prioris quidem mentio exstat apud Ciceronem in Oratore 45, 152: *nobis, ne si cupiamus quidem, distrahere voces conceditur. indicant orationes illae ipsae horridulae Catonis, indicant omnes poetae praeter eos, qui ut versum facerent saepe hiabant, ut Naevius: vos qui accolitis Hístrum fluvium atque álgidam, et ibidem: quam nūmquam vobis Grái atque barbari. at Ennius semel: Scipio invicte; et quidem nos: hoc motu radiantis etesiae in vada ponti* (Arat. 157). *hoc idem saepius nostri non tulissent quod Graeci laudare etiam solent.* Ennii verba fere omnes videntur pro dactylicis habuisse; rationem usumque omissae elisionis correptaeque in thesi vocalis longae ostenderunt Lachmannus in Lucret. VI, 743 et Lucianus Müllerus metr. p. 307. Nec tamen praeter rationem fecisse Ennium putaverim, etsi exemplum huic prorsus consimile non invenio in iis quae Lachmannus in Lucret. III, 374. 941. 954. VI, 743 et Luc. Müllerus p. 310 sq. congesserunt, si hiantem syllabam in arsi versus trochaici sequente longa produceret, ut talis esset hic versus:

*Scipiō invicte .. !... !... .*

Conpellari autem ab aliquo Scipionem invictum fabulae scaenicae convenientius est quam annalibus, nisi id in prooemio factum cum Lachmanno suspicaris. Rationi métricae aliquid firmamenti accedit a Naevii versu quem Cicero priorem posuit (fr. inc. 13 Ribbeck.).

Alterum, quod paulo post in prooemio positum fuisse Lachmanno videbatur, est apud Trebellium Pollionem in vita Claudi 7: *Dicit Ennius de Scipione: Quantam statuam faciet populus Romanus, quantam columnam, quae res tuas gestas loquatur?* Quibus in verbis cum iam Columna et Salmasius versuum heroorum vestigia agnoverint quos partim restituere conarentur, Lachmanno haec debetur restitutio prorsus egregia:

*quam tantam statuam statuet populus Romanus,  
quamve columnam, quae te res gestasque loquatur?*

a qua hoc tantum discessit Vahlenus quod altero versu scripsit *quae teque et tua gesta loquatur?* De conpellatione Scipionis idem censeo quod in superiori fragmento, atque si discedere liceat a Lachmanno, malim omissa voce *Romanus*, quam scriptor videri potest perspicuitatis caussa addidisse, hos putare in ultimo cantico fuisse anapaestos:

*quantam statuam statuet populus,  
quamve columnam,  
quae te et tua gesta loquatur?*

Haec habui de Q. Ennii Scipione quae scribebam. Quae ut tibi, HERBSTI, cui hunc honorem habere volui, et omnibus quibus litterae Latinae curae cordique sunt non improbari cupio, ita haud dubito quin et effugerint nonnulla sribentem quae scribi oportuit et dicta sint alia quae ita dixisse aliquando paeniteat. Sic de Hieronymo Columna quae leguntur p. 11 et 16 scripta sunt non inspecta eius Ennianorum editione, quae in huius civitatis bibliothecis non invenitur; falso scripta esse doceri potui a Neukirchio. Deinde Horatius verbis illis quae attuli p. 1: *Ennius . . . alter Homerus, ut critici dicunt*, dicendus erat Lucilium tetigisse, si quidem fides est Hieronymo comment. in Michaeae prophetae cap. VII col. 1549 (t. III ed. Paris. 1704) haec sribenti: *sed et poeta sublimis, non Homerus alter, ut Lucilius de Ennio suspicatur, sed primus Homerus apud Latinos, varium, inquit, et mutabile semper femina* (Vergil. Aen. III, 569). Tumide haec quidem monachorum doctissimus; sed vere alter Homerus erat Vergilius admiratori suo atque imitatori Silio Italico, qui ita vaticinantem faciens de Ennio Phoebum Pun. XII, 411 sqq.: *resonare docebit hic Latiis Helicona modis nec cedet honore Ascreao famave seni*, cumque per numeros dicere licet Maeonio pro altero Homero alterum Hesiodum exhibens Ennum cum eruditione et pietate inscitiam exaequavit. — P. 12 n. 1 l. 1 pro 48 lege 8. —

Ser. Gedani m. Maio a. MDCCCLXVIII.

*Theoph. Rooper.*

## I n d e x.

- ac* particulae quantitas p. 9.  
*acrostichides* p. 17 sq.  
*Ciceronis carmina minora* p. 21; Ennii versus ab eo laudati p. 22 sq.; incerti poetae apud eum de Heraclito versus p. 18.  
*diaereses hexametrorum* p. 7; trochaeorum p. 10.  
*dialogi* p. 20.  
*Diomedis de satura loci* p. 21 sq. 24 sq.  
*Ennianae poesis reliq. ed.* Vahlen. : *Annal.* v. 44 p. 7 sq.; 125 sq. p. 4 sq.; 143 p. 6; 235 p. 8; 236 p. 8; 247 p. 7; 322 p. 29; 324 p. 23; 354 p. 5 sq.; 511 p. 6; *Ambraciae* fr. 2 (4 R.) p. 24; *Melanippae* fr. 4 p. 24; *Hedyphag.* v. 2 p. 8; 6 p. 8; *Satur.* v. 10—13 p. 9. 28; 14 p. 9. 28; 15 p. 4—13. 28; 16 sq. p. 29; 20—23 p. 22 sqq.; fr. 8 p. 29.  
*Ennii Annales* quomodo citentur p. 15; *Ambracia praetexta* p. 24. 26; *Sabinae praetexta* p. 27; *Scipio an carmen epicum* p. 14—16; *an satura* p. 21—25; *praetexta* p. 26—28; quando scripta p. 29; *Epicharmus* p. 17; *Euhemerus* p. 17.
- Ennius* non videtur edidisse libros pluribus poematis constantes p. 25; a Lucilio inrisus p. 9 sq.; veterum de eo iudicia p. 1 sqq. 30.  
*epica carmina minora* p. 19.  
*Eratosthenis Aristo* p. 19.  
*fiare, fieri* p. 17.  
*forceps* p. 14.  
*Germanici seholiasta* ap. Lactantium p. 17.  
*Hannibal*, casuum obliq. quantitas p. 28.  
*Hrabanus Maurus Diomedem* refert p. 27.  
*Isocrates Latinus* p. 17; eius Philippus p. 18.  
*Laevii fabulae lyricae* p. 20.  
*liber* pro fabula p. 22.  
*librorum indices breviati* p. 16. 18.  
*Luciani dialogi* p. 20; *Lucius* p. 18; *Philopatris* p. 20.  
*Lucilii satur. reliq. ed.* Gerlach. VIII, 9 p. 10; XIII, 3 p. 6; XXVIII, 57 p. 11; inc. 112 p. 10 sq.; inc. 165 p. 30; non videtur Lucilius libros edidisse pluribus poematis constantes p. 25.  
*Macrobius Servium* refert p. 10; *Saturnal.* VI, 4, 8 p. 12; VI, 4, 9 p. 15. molossi Sotadiis vindicati p. 12 sq.
- Naevii Clastidium* s. *Marcellus* p. 21. 27. nomina propria in versus aegre venientia p. 5; hominum vel deorum nomina libris inscripta p. 17—20; substantiva pro adiectivis p. 6.  
*Nonius v. politiones* p. 23.  
*omnis* paenultima brevi p. 14 (cfr. L. Müller, metr. p. 428).  
*Pacuvii Paulus* p. 26.  
*poemata τὰ ταρά* inscripta p. 19.  
*praetextae* p. 26 sq.  
*saturae indeos* p. 24 sqq.  
*Servius ad Vergil. Aen.* XI, 602 p. 10; ad Verg. bucol. I, 58 p. 21.  
*spargere* p. 12.  
*Timonis sillographi Python* p. 18 sq.  
*Varronis logistorici* p. 20; *satur. Bimareci* fr. 23 R. p. 9; *Dolium aut Seria* p. 20; *περὶ ἔστησης* fr. 1 p. 28.  
*versus a citantibus* in alios numeros deflexi p. 13 sq.; hexametri a libriis facti p. 11. 24; hexametri a veteribus tragicis Latinis non admissi p. 24; *Saturnii* ab Ennio abiudicati p. 11 sq.; *Sotadiorum* ratio p. 12 sq.  
*Vergilius catalecta* 8, 9 p. 14.  
*vocare* = *vacare* p. 9.

Pag. 14 lin. 8 pro Pherecratei lege paroemiaci; p. 21 l. 30 pro etiam lege paucis annis.

